
43
9 B
7

INSTITUTIONUM
PHILOSOPHICARUM
TOMUS PRIMUS

QUI COMPLECTITUR

HISTORICAM PHILOSOPHIAE SYNOPSIN
LOGICAE ELEMENTA ET
ONTOLOGIAM

AD USUM

SEMINARII NEAPOLITANI.





NEAPOLI MDCCLXXXII.

Ex Officina AMATI CONSI.
Proſtant apud MICHAELEM STASIUM.

UTRIUSQUE POTESTATIS PERMISSU.

Die 18. *mensis Julii* 1782.

Reimprimatur, regiis juribus, legibus, moribusque Regni semper salvis.

VARGAS MACCIUCCA.

Carulli.

LECTORI BENEVOLO

MICHAEL STASIUS.



Nstitutiones Philosophicas, quae in usum florentissimi Seminarii Neapolitani jamdiu in lucem prodierant, tertium edendas aggressus, ne quid superioribus haec praesens ἔκδοσις invideret, illius curandae provinciam SALVATORI ROGERIO demandavi. Is quidem pro ea, quae mihi cum illo intercedit amicitia, quemadmodum quod in hasce Institutiones χρήσεως καὶ κτήσεως jus habet, totum id mihi attribuit, ita non modo in typographicis mendis abstergendis summam adhibuit diligentiam, verum etiam nonnulla, quae inter legendum operarum festinatio ipsi expressit, qua castigando, qua addendo interspersit. Quamobrem tu-

am, humanissime Lector, demeruisse gratiam mihi blandior, cum, ut bono tuo consulerem, hujusmodi Institutiones, quarum paucissima exstabant exemplaria, tum emendatiores & locupletiores, tum nitidioribus formis expressas in publicum emittere curaverim.



PRAE-

PRAEFATIO.

NIHIL homini melius, nihil praestantius, nihil magis expetendum esse, quam Philosophicis disciplinis excultum animum, is profecto intelliget, qui cogitatione comprehendet, tanto Philosophiae studium esse ceteris nobilius, quanto res, de quibus agitur, censentur nobiliores. Cujuscunque enim artis prae aliis praestantiam metiri rebus, quas tractandas suscipit, oportet. Philosophantis oculo immensa rerum, qua late patet, universitas consideranda obversatur; qua quemadmodum nihil pulchrius, aut admirabilius esse potest, ita longe omnibus studiis Philosophia praestare videtur. Hac enim duce & comite humanae Mentis acies in universum dirigitur mundum; ac primo in rerum terrenarum contemplatione defixa earum naturam studiose rimatur, caussasque exquirit; mox singulis orbis terrae partibus peragratis ad caelum usque evolat ratos astrorum ordines, certosque eorumdem motus contemplatura: neque illic stare scit, inquieta,

donec veluti e corporis vinculis soluta Deum ipsum attingat.

Verum paucis abhinc annis novo quodam invecto philosophandi genere nonnulli e grege Philosophorum rebus studentes novis mirum est, quantum studii curaeque posuerint, ut incorruptam verae & elegantis Philosophiae integritatem violarent atque imminuerent. Hinc quanta maxima contentione possunt, tanto animi ardore conantur, ut quae ἀποδεικτικῶς demonstrata suam cuique sanae mentis homini veritatem probant, in dubium revocent, caligine ac tenebris involvant, & funditus si fieri potest labefactent. Imo eo dementiae devenere, ut a natura, atque adeo a semetipsis desciscentes suam ipsi Mentem suumque Auctorem exsistere per summam impudentiam negare sint ausi. Atque hi quidem sibi persuaserunt solos se scire omnia, se meros crepant Philosophos, soli videri volunt sapientes, nomenque sibi *Spirituum fortium*, quasi dicas arrogantis atque impudentis, vindicando, ceteros tanquam imbecillis animi, vanaque imbutos superstitione contemnunt, despiciunt, illudunt. Nullum enim eorum judicio Religionem inter superstitionemque interesse discrimen videtur. Ex quo factum est, ut

nu-

nupera isthaec Philosophiae ratio nec tam multis grata & probata, pluribus etiam, iisque sapientissimis doctissimisque viris, suspecta & invisa sit. Atque eo vel magis, quod quae antea facem ad Theologiam praeferre consueverat, nunc maximo sit impedimento, quominus ad eam perveniatur. Ea est enim humani ingenii indoles, ut si qui non ultra tangendi occurrant fines, vel retrorsum eat, si imbecille sit, ac timidum; vel si promtum ac temerarium rupto quovis obice huc illuc errabundum vagetur.

At vera a falsa Philosophia immane quantum distat! Illa enim solam semper sectatur veritatem, nec defatigata studium exquirendi relinquit prius, quam in ea inventa adquiescat. Haec contra verum licet perscrutetur, haud tamen idcirco investigat, ut in illo adquiescat, sed ut quod in speciem quaerit, reipsa non assequatur. Illa internis externisque adhibitis experimentis, institutis in rerum naturam observationibus tota in eo versatur, ut ex rerum notissimarum cognitione occultarum investigationem deducat. Haec vero his omnibus abutitur, ut iis, quae patent, quaeque sunt oculis subjecta fidelibus, sempiternam veluti noctem offundat. Altera de-

demum in universo rerum orbe veluti insculptam Dei intuetur imaginem, & caelestium rerum atque terrestrium admirabilitate excitata tanti operis rectorem, & tanquam architectum deprehendit. Altera tantae varietatis rerumque pulchritudinis aspectu nihil commota mundum perinde sibi repraesentat, atque adhuc esset rude & indigestum Chaos: adeo quidem, ut perpetuae potius dubitationis spinas, quam scientiae segetem colligat: atque ubi haereat, non quo perveniat, longo ac salebroso examine perscrutetur.

Est modus in rebus adhibendus, sunt quidam praescribendi fines, quos ultra progredi Philosopho sit nefas; siquidem non omnia omnibus scire permissum est. At ubi Philosophia metam ponit: illinc cursum Theologica instituit disciplina. Quamobrem rebus Philosophicis operam dabimus eo scilicet consilio, ut per illas facilior ad Theologiam pateat nobis aditus. Illuc enim omnia recidant oportet: illa veluti terminus vestrarum cogitationum statuendus est vobis praesertim, Adolescentes, quibus in sortem Domini vocatis Theologiae studium proprium est ac peculiare.

In his igitur Institutionibus nihil nobis

fuit

fuit antiquius, quam ut ſapientiſſimorum virorum veſtigiis inſiſtentes ſuperflua coërceremus, ſingula preſſe perſequeremur, ac brevius anguſtiuſque omnia terminaremus. Verba inſolentia vitare ſtuduimus, non vero quae Philoſophicae ſcientiae propria ſunt; ſingulae enim artes verbis quaſi privatis utuntur ac ſuis. Tum vero nihil impenſius, & diligentius curavimus, quam ut plane, ac perſpicue omnia expedirentur. Latinitate uſi ſumus, qualem Philoſophica diſputatio ferre poſſet: quamdam vero ſermonis elegantiam quoad ejus fieri potuit conſectari ſategimus; ea potiſſimum de cauſſa, quia non raro fieri videmus, ut adoleſcentes ab amoeno humaniorum litterarum ſtudio profecti in ipſo Philoſophiae limine haereant, horridum ac ſpinoſum diſſerendi genus ſtomachati.

Hae autem Inſtitutiones Scholarum noſtrarum more duorum annorum ſpatio concluduntur: quantum ſcilicet temporis ſatis eſſe poſſit, ut prima Philoſophiae elementa explicentur, queis rectiſſima ad illam traditur via; ac veluti intento digito monſtretur iter, quo ad verae Philoſophiae faſtigium aſcendatur. Eos autem, qui in contemplanda perſpiciendaque rerum natura totos ſe poſuerunt, ampliora

vo-

volumina adire jubemus : ut beatos fontes potius hauriant, quam rivulos consectentur. Desiderabantur tamen adhuc breves & concinnae Institutiones, quibus nostri Seminarii Juventus ad Philosophiam informaretur : ipsius igitur usui destinatae nunc in lucem prodeunt hae qualescunque sint, non ut (quod iterum praemonere volumus) in doctissimorum virorum manus perveniant, sed ut nostrae Juventutis votis satisfactum eant.

CON-

CONSPECTUS

EORUM QUAE HOC TOMO I.

CONTINENTUR.

PHILOSOPHIAE SYNOPSIS HISTORICA. pag. 1.

LO-

LOGICAE ELEMENTA.

LO-

Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus D. Franciscus Can. Valle S. Th. Magister, & Curiae Archiep. Exam. Synod. revideat, & in scriptis referat. Datum Die 23. Maji 1769.

F. X. EP. VENAFR. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS

INstitutiones Philosophicas ad usum Archiepiscopalis Lycei nuper mihi traditas ut legi, gratulatus sum ipse mihi, quod tandem aliquando ejusmodi Philosophiae Elementa in lucem prodierint, quae Tironibus Cleri nostri ad superiora potissimum sacra studia facem praeferrent. Ea enim est Institutionum harumce brevis & clara methodus, ea verborum sententiarumque concinnitas, ea argumentorum vis & ubertas, ut optimam spem concipere fas sit, imbutos Adolescentes principiis τῶ χρισῶς ad altiora quaeque fore erigendos. Adeo farta tecta manent fides, & pietas, Religionis, ac Theologiae quoque jura, ut demandari typis posse censeam, dum id tibi, Praesul Eminentissime, probatum fuerit. Datum Neapoli XIII. Calendas Octobris Anno Domini MDCCLXIX.

Eminentiae Tuae

Humillimus, Obsequentissimus
Franciscus Canonicus Valle.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum die 23. Septembris 1769.

F. X. EP. VENAFR. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Re-

Reverendissimus U. J. D. D. Joseph Canonicus Simioli in hac Regia Studiorum Universitate Professor Primarius revideat & in scriptis referat. Datum Neapoli die 1. Julii 1769.

NICOL. DE ROSA EP. PUT. C. M.

ILL. AC REV. PRAESUL

INstitutiones Philosophicas brevi, clara, simplici methodo concinnatas, Ecclesiasticae Juventuti accommodatas, ut Christianae Theologiae praeludia, & altiorum Scientiarum praeambula, dici vix potest quanta voluptate perlegerim: quod salebrosum ac sinuosum iter planum directumque a Viro Clarissimo factum viderim, expeditamque ad reliqua stratam viam. Saepe ac diu expetitas hujusmodi Institutiones, quae recentiora complectantur, & antiquiora non negligant, adoptatis etiam Scholarum lectissimis verbis, ad Seminarium maxime commodum typis edi posse, si Tuum accesserit jus, plane censeo. Datum Neap. XIII. Kalendas Augusti 1769.

Humillimus Addictiss. Obsequentiss. Famulus
Joseph Can. Simioli Reg. S. Th. Professor.

Die 2. Mensis Septembris 1769. Neapoli.

Viso Rescripto suae Regalis Majestatis sub die 26. proximi elapsi Mensis Augusti currentis anni ac relatione Reverendi Josephi Canonici Simioli, de Commissione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Majestatis.

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Revisoris. Verum in publicatione servetur Regia Pragmatica: Hoc suum &c.

GAETA SALOMONE.

Vidit Fisc. R. C.

Illustr. Marchio Citus Praes. S. R. C. tempore subscriptionis impeditus, & alii spectabiles Aularum Praefecti non interfuerunt.

Reg. fol.

Carulli. Athanasius.

PHI-



PHILOSOPHIAE
SYNOPSIS HISTORICA.

CUM in more positum sit apud illos, qui se ad ceterarum scientiarum atque artium studium conferunt, ut earum antea historiam percurrant, ratio profecto postulat, ut nos, qui Philosophiae operam damus, antequam fontes hauriamus, ejusdem Scientiae historiam delibemus. Si enim disciplinarum origines scrutari, & quemadmodum illae paullatim adolescere coeperint, donec ad maturitatem suam pervenerunt, attentis oculis inspicere, tum dulce tum utile esse nemo diffitetur: Philosophiae certe historiam plurimum jucunditatis atque emolumenti prae se ferre fateamur necesse est. Eam enim humanae Mentis historiam recte dixeris. Cum enim tam longe retro respicimus, & singulis perlustratis aetatibus quae de rerum natura diversae Gentes senserint, & praestantissimi quique Viri docuerint, investigamus: illuc certe rem deducimus, nimirum ut deprehendere aliquando liceat, quo

pacto humana Mens prima illa veluti sapientiae semina, nobis a natura insita, paullatim evoluta explicaverit. Quid igitur jucundius simul, atque utilius hominum animo esse potest, quam ut suarum virium effecta intueatur?

Quamobrem Philosophicas Institutiones, quas Deo dante aggredimur, historica Philosophiae σύνοψις antecedit, quae veluti quaedam picta tabula intuentium oculis exhibebit, quibus illa profecta initiis ad nostra usque tempora sensim adoleverit, quique illam pro diversa temporum serie, & sectarum varietate excoluerint. Atque ut inde usque incipiam, si quis Philosophiae incunabula investigare amat, is ad ipsa Mundi exordia oculos intendat; cum unum idemque fuerit hominis ac sapientiae principium. Insitus enim & quasi in animo consignatus est amor ille, quo natura ipsa ad veritatem investigandam ducimur.

Homines porro cum universam Mundi compagem ornatissimam & pulcherrimam conspexerint, caeli, siderum, & corporum omnium ornatum ac varietatem, rerumque consentientem, conspirantem, & continuatam cognationem contemplati, horum omnium admiratione correpti sunt. Tum illorum aspectus impulit eos & admonuit, ut plura quaererent. Inde est orta indagatio initiorum, unde scilicet essent omnia nata, generata, concreta: inde rerum omnium caussas perscrutari coeptum est. Atque hisce gradibus rerum cognitio, & naturae explicatio paullatim invaluit.

Ut igitur quantum hujusmodi studium apud sin-

ſingulas quaſque Gentes viguerit, videamus: ipſo in limine non abs re erit animadvertere, difficile admodum dictu eſſe, quid priſci gentium ſapientes de Dei, animique noſtri natura, & de prima rerum origine ſenſerint. 1. *Ob monumentorum inopiam*. Tot enim illuſtrium virorum operibus partim incendio, partim temporis edacitate deperditis, pauca admodum antiquitatis monumenta nobis ſuperſunt; ex quibus, tamquam ex diſcerptis membris, quale fuerit veterum ſophorum doctrinae totius *σύστημα* (*corpus*) divinare vix poſſumus.

2. *Ob varium, ac multiplex linguarum ingenium*. Quo fit, ut verba in alienam linguam translata vim primigeniam ſaepe amittant, idque interdum praeſeferant, quod eſt ab Auctoris mente remotiſſimum. Jam vero quidquid barbaricae eruditionis nobis innotuit, id ferme omne a Graecis accepimus. Ecquis igitur praeſtare poterit barbararum gentium monumenta in Graeciam, graece autem ſcripta in alias gentes ſine fraude commigraſſe, & in linguis adeo diſſimillimis verba verbis, notiones notionibus ex aequo reſpondere?

3. *Ob frequentiorem Προσωποποιίας Proſopopoejae uſum*. Nihil ſane priſcis ſapientibus tam familiare, quam inanimatas mundi partes, reſque naturae in ſcenam producere *perſonarum* habitu & forma indutas. Sic Chaos, Aether, Nox, & id genus alia in veterum Coſmogoniis tamquam perſonae quaedam animatae incedunt, aguntque.

4. *Ob arcani ſtudium*. Nimirum ne ſanctiora rerum dogmata in vulgus edita, vileſcerent, con-

ſueverunt barbaricae ſapientiae Antiſtites ea allegoriis, aenigmatis, fabulis, hieroglyphicis, aliiſque praeſtigiis obſcurare, quo proſanorum captui ſubducerentur. Hinc duplex olim viguit doctrinae genus Δημώδης καὶ Ἀπόῤῥητον, *Populare*, & *Arcanum*. Populares doctrinae omnibus ſine ullo diſcrimine patebant. Arcanis initiari non poterant niſi Myſtae. Vetus hoc, & commune barbararum gentium inſtitutum ad Graecos poſtea translatum eſt. Exemplo ſunt *Exoterica*, & *Acroamatica* Ariſtotelis ſcripta: quorum illa erant ad vulgi ſenſum accommodata; haec accurata limatius ad veritatis obruſſam. Atque id myſticae, & popularis doctrinae diſcrimen in cauſſa nonnumquam fuiſſe reor, quamobrem veteres quidam philoſophi de principiis rerum non idem ſemper dicere viderentur.

5. *Ob praepoſterum Coſmogonias cum Theogoniis confundendi morem*. Antiquiſſimi mortalium, quorum videlicet animos ſuperſtitio oppreſſerat, Mundum, & illuſtriora quaelibet Univerſitatis corpora Deorum numero, & loco colebant. Proinde veteres naturae Sacerdotes cum Deorum ortum, & genealogias pertexerent, non alio certe ſpectabant, niſi ut mundi initia, rerumque procreationis ordinem ſymbolice explicarent. Verum procedente tempore, ſive ut urbium primordia auguſtiora facerent, ſive ob ſuperſtionis in dies praevalentis ſtudium coeperunt patria etiam cujuſque gentis ἱστορούμενα (*hiſtorica monumenta*) divinis honoribus paſſim conſecrari. Id quod barbaricam deinde coſmopoeiae doctrinam mirifice perturbavit, obſcuravitque.

Haec

Haec cum ita sint, quidquid ad nostram usque aetatem ex vetustissimis gentium doctrinis perennavit, qua maxima fieri poterit diligentia, & perspicuitate exponamus; & Hebraeos primum, quippe vetustiores, & quorum historiam puro e fonte haurire licet, tum ceteros deinceps Orientis populos adeamus.

§. I.

De Hebraeis.

SApientiae studio supra ceteras emicuit Hebraea Gens, quippe potissimum in ea clarissimi viri floruerunt Noachus, Abrahamus; Moses, David, Salomon, aliique; quorum tamen sapientia potius in vera Dei notitia & morum scientia, quam physicis observationibus versata esse videtur.

Quaenam fuerit Hebraeorum sententia de rerum origine, de Deo, atque animi nostri natura, facile est colligere ex iis, quae praesertim ipsorum legislator Moses nobis litteris consignata transmisit. Is quidem avitae traditioni innixus, ita philosophatus est, ut totius rerum universitatis ortum ad supremum Numen unice retulerit, atque hunc Mundum infinita Dei potentia, cum nihil horum antea exsisteret, conditum esse affirmaverit.

Totum autem Hebraeae Cosmogonias caput Moses hac narratione conclusit. *In principio*, ait, *creavit Deus Caelum & Terram. Terra erat inanis, & vacua, & tenebrae erant super faciem*

Abyssi. Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixit Deus.: fiat lux, & facta est lux. Fiat firmamentum, & dividantur aquae. Terra appareat, & germinet. Fiant luminaria in firmamento caeli. Producant aquae, producat Terra animantia. Fiat homo ad nostram imaginem, habeat spiraculum vitae, crescat, & imperet. Dixit, & factum est ita (*a*).

Itaque Deus ex Mosis doctrina primo *Chaos*, rudem indigestamque molem, quod tenebricosi Abyssi, & aquarum nomine appellat, e nihilo educit. Stupidam hanc materiei molem sex dierum spatio ita divina virtute exagitavit, ut inde omnia, quibus universi compago exsistit, atque ornatur, prosilierint.

Quod primo apparuit, lux fuit, & primam diem in dirimenda a tenebris luce Deus insumsit. Cum vero illam ante Solis ortum genitam referat Moses, a Sole ipso dissitam, & distinctam clare indicat.

Altera die Deus רקיע *rakiah* h. e. *extensionem*, sive *expansum* in medio aquarum posuit, Atmosphaeram nempe, quae aquas in vapores extenuatas pendulas sustineret, ac aquas ab aquis crassioribus dirimeret, quae supra Telluris globum confluxere.

Tertia, Tellure solidata, profundum alveum, ubi aquae reconderentur, excavavit, ut sicca Telluris facies omni plantarum genere exornaretur: quod proprium fuit hujus diei opus.

Quarta Sol, & Luna creantur, & in Caelis po-

(a) *Gen. I.*

ponuntur, ut forent in signa temporum, & Telluris usui accommodata. Tum vel sidera, & reliquus Planetarum ordo fuit institutus.

Quinta aquarum, aërisque incolae, Pisces, Avesque imperio Numinis prodiere.

Sexta demum cetera terrestria animantia progignuntur, & summa manus Creationi imponitur Hominis efformatione, cujus corpori e terrae limo coagmentato animam viventem Deus sociavit.

Haec sane sunt, quae de rerum primordiis Moses breviter scripsit, quae tamen omnia summam, & prorsus divinam redolent sapientiam. Ex illius enim narratione rite deducimus Deum esse rerum omnium Opificem, & longe aliud esse, quam ipsa materies, quae nondum erat, dum ille exsisteret: tum nec motus, nec partium modificatio, non vis attrahens, vel repellens, nec ulla lex alia in partem totius Opificii vocatur: supremum, & unicum Conditoris arbitrium fuit sola lex, cujus imperio omnia sunt & genita, & apte disposita.

Atque hanc de rerum exordio doctrinam tam constanter Hebraei retinuerunt, ut ad nostram usque aetatem transmissa in hujusce Gentis reliquiis perseveret. Ad ignem enim damnatum esse Sec. XV. R. quemdam Samuelem Sarsa, urgente omnium Rabbinorum coetu, quod Mundum ex materia antea exsistente formatum doceret, narrat R. Menasse Ben-Israël.

Quid autem de Deo senserint, passim eorum libri docent: illum nimirum nobis exhibent veluti Ens aeternum, infinitum, ejus naturae, quam

ne nomine quidem appellare fas sit; ita sapientissimum, ut omnia noverit & scrutetur, atque universa conservet ac moderetur.

Humanas mentes ἀσωμάτȣς ϗ ἀΰλȣς, *omnis* nimirum *materiae expertes* esse existimarunt. Moses enim Deum narrat post conditum hominis corpus, *inspirasse in faciem ejus spiraculum vitae*, נשמת חיים *Nifcmat Chajim*. Cum autem hae voces unis duntaxat hominibus apud Mosen propriae sint ac peculiares; profecto spiraculum illud, unde homo tum viveret, tum sentiret ac cogitaret, principium omnis corporeae concretionis expers Mosi fuisse credendum est. Ubi enim occurrit (a) נשמת רוח חיים *Nifcmat-Ruach Chajim*: & tum de hominum, tum ceterorum animantium genere usurpari videntur: sedulo ibi utraque vox *Nifcmat* & *Ruach* distinguenda est, quarum primam ad homines, alteram vero ad bruta animantia referre oportet. Primum enim Moses universa animantia aquis Diluvii periisse narrat: *Consumtaque est omnis caro, quae movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quae reptant super terram: universi homines*. Tum animantium omnium, quae recensuit, veluti ἀνακεφαλαίωσιν instituens κατ' ἐπεξήγησιν addit: *Et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortua sunt*. Hebr. *Omnia, in quorum facie erat* Nifcmat Ruach Chajim *ex omnibus, quae sunt in arida, mortua sunt*. Adeo quidem ut *Nifcmat Chajim* unos homines, qui proxime praecedunt, *Ruach* vero

Chajim

(a) *Gen. VII.* 22.

Chajim cetera animantia respiciat; quibus quidem *Ruach Chajim*, nunquam vero *Nischmat Chajim* Mosem adscripsisse legimus (a).

Quod autem de animorum immortalitate non dubitarent Hebraei, illud in primis argumento est, quod mortuos ad vitam revocari, eosque viventibus nonnunquam apparere crederent: atque illos de futuris eventibus consulere in more haberent. Deinde in Mosis historia cum Patriarcharum obitus describuntur, frequens est illa loquendi formula: *mortuus est*, *& appositus ad patres suos*, vel *ad populum suum*; quae verba nullo pacto intelligi possunt, nisi altera ex Hebraeorum mente vita admittatur (b). Saepissime etiam Patres illi, quorum historiam Moses pertexuit, spem praemonstrant videndi ea, quae longe post eorum obitum erant futura. Legimus etiam *hominem heic in terre non posse Deum intueri*, *& maximam mercedem esse Deum ipsum*. Quod sane indicat non terrena prorsus fuisse praemia, quae Hebraea gens anhelaret (c). Adhaec culpae mors comes, & virtutis vita passim pronunciatur, nec tamen impii omnes mortem subibant, nec boni omnes vitam servabant; non igitur nisi animi vita hujusmodi intelligenda est; adeoque statim subnectitur *Deut. XXX. 20. Deus est vita tua*. Quid vero hac doctrina luculentius in libris Jobi? illic sane animorum immortali-

(a) *Gen. VI.* 17.
(b) *Gen. XXV.*
(c) *Gen. XLIX.*

talitas non significatur modo, sed longa oratione verbis splendidissimis probatur.

Praetereundum non est fuisse inter Hebraeos a Babylonica captivitate reduces, qui ab antiqua patrum sapientia desciscentes graecissare coeperunt. Inde Sadducaeorum, Pharisaeorum, & Essenorum sectae exortae sunt.

Sadducaeorum, quibus id nominis a quodam Sadocho impositum fuisse perhibent, primam originem jam tum ab Esdrae aetate revocant nonnulli (*a*). Ipsorum dogmata haec ferme erant. 1. Neque Angelos, neque spiritus esse, teste Luca (*b*); & nullas a corpore secretas animas. 2. Humanas Mentes corporibus non esse superstites. 3. Vana esse commenta, quae de resurrectione futura vulgo dicebantur. 4. Recte factis praemia, aut peccatis poenas in altera, quae praesentem sequatur vitam, reservari negabant. Hinc in poenis a sontibus repetendis nimium severos fuisse refert Josephus Hebr. (*c*).

Pharisaei a פרש *pharas*, *separavit* nomen adepti, quippe religiosioris vitae quodam genere a cete-

(a) *Joannes Lightfootus* Hor. Hebr. in Evang. Matth. Cap. III. 7. *ex Babyl. Beracoth fol.* 54. *advertit fuisse, qui diebus Ezrae mortuorum resurrectionem negarent. Atque huc pertinere forsan ait illa apud Malachiam III.* 14. Vanus est qui servit Deo: & quod emolumentum, quia custodivimus praecepta ejus? *Haec enim Sadducaeorum haeresim satis sapiunt.*

(b) *Actor. XXIII. 8.*

(c) *Antiq. Judaic. Lib. XX. cap. 8.*

ceteris Iſraëlitis diſtinguebantur, a Sadducaeorum dogmatis diſſentiebant. Angelos enim & ſpiritus eſſe ajebant: immortalitatem animis vindicabant: reſurrecturos homines, & praemiis ac ſuppliciis in altera vita locum eſſe tuebantur. Juſtorum animis μετεμψύχωσιν quamdam Phariſaei adſcripſiſſe nonnullis videntur: in quo ducuntur ipſi Joſephi teſtimonio ejus ſectae intelligentiſſimi; nihil autem ejuſmodi inde extundi poſſe emunctioris naris Eruditi tuentur (a). Eos prae-

(a) *Joſephus* lib. II. de Bello Judaico cap. VIII. *Phariſaeos ait docuiſſe*, animam omnem eſſe incorruptam; μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνον, migrare vero in alterum corpus bonorum duntaxat, malorum autem aeterno ſupplicio puniri. *Atqui illud* μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα *non exprimit metempſychoſin ſic dictam Pythagoricam. Idem enim Auctor* Antiquitat. Lib. XVIII. cap. I. *Phariſaeorum ſententiam ſic expoſuit, ut reſurrectionis potius, quam metempſychoſeos meminiſſe videatur. Ait enim:* Animis credunt (*Phariſaei*) vim eſſe aeternam, & eorum ſub terra judicia fieri, tum praemia poenaſve cuique contingere ex virtutis aut malitiae in hac vita merito, hiſque quidem carcerem perennem conſtitui, ταῖς δὲ ῥᾳστώνην τοῦ ἀναβιοῦν, illis vero facultatem rurſum vivendi. *Tum* Lib. III. cap. VIII. Rer. Judaic. An neſcitis, *inquit*, quod morientium juxta naturae legem, & qui Deo debitum exſolvunt repetenti quod dederat, laus ſit aeterna, domus ſoboleſque fir-

praeterea Legi, & potissimum traditionibus, quas *oralem Legem* appellabant, nimium addictos fuisse: tum etiam inani ostentatione abreptos in externo religionis cultu totos occupatos interiores cordis recessus cujuslibet foeditatis puros servare neglexisse, ex ipsius Christi objurgationibus norunt omnes.

Quos Essenos Josephus, Essaeos Philo, atque Os-

---

firma, purae autem & dicto audientes animae *μένουσιν χῶρον οὐρανοῦ λαχοῦσαι τὸν ἁγιώτατον, ἔνθεν ἐκ περιτροπῆς αἰώνων ἁγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασιν*, manent sanctissimum caeli locum nactae, hinc per seculorum lapsus iterum introducuntur in corpora munda, ut ea inhabitent? *Tandem* contra Appion. lib. II. §. XXX. Iis qui leges servarunt, & pro iis, si ita res ferat, mortem oppetierunt, dat Deus *γένεσθαί τε πάλιν, καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐκ περιτροπῆς*, nasci iterum, & ex temporum intervallo vitam adipisci meliorem. *Quod igitur* revivifcendi facultatem *Josephus dixerat*, *hoc idem expressit*, *cum inquit* transire in aliud corpus: *cujus corporis proprietatem describens*, *illud* purum *nuncupat*. *Et animarum conditionem*, *tempusque*, *quando illud novum purumque corpus induendum sit significaturus ait: postquam* locum caeli sanctissimum nactae fuerint, & secula nonnulla lapsa sint: *tum ut vitae qualitatem in iis puris corporibus agendam aperiret*, *eam hac mortali vita* praestantiorem *esse tradit*. *Haec autem omnia quam longissime absunt a metempsychosi*. *Videndus in hanc rem Guilielmus Irhovius* De Palingenesia veterum lib. II. cap. XI.

Offenos Epiphanius appellant: hi quidem prorsus incertae originis sunt. Ipsorum mores ita describit Josephus (a) ut eos veluti homines frugi & nimium severos nobis exhibeat. Summus erat Dei, & Mosis apud ipsos cultus. Animos immortales esse, eosque e summo aere in corpora descendere; corporis vero vinculis solutos pristinas sedes veluti e captivitate reduces repetere statuebant.

§. II.

De Chaldaeis.

Chaldaeorum Philosophia ad observationibus potissimum astronomicis ortum habuit; quas adeo antiquas jactabant, ut jam tum, cum astra primum observare inceperant, usque ad Alexandri aetatem 470000. annos fluxisse adsererent. Verum multo recentiores erant astrorum cognitiones, quas teste Porphyrio apud Simplicium (b) Callisthenes ad Aristotelem misit; annos enim 1903. prae se ferebant: quorum initium ad annum M. 1750. & Per. Jul. 2480. statuatur oportet. Licet haec ipsa Chaldaicae Astronomiae antiquitas, quae ferme diluvii aetatem attingit, viris doctis suspecta videatur. Legatur Thomas Stanlejus (c).

Apud Chaldaeos primas tenuit *Zoroastres*, cujus quo major est fama, eo incertior atque ob-

(a) *De Bello Jud. Lib. II. cap.* 12.
(b) *Comment. in Lib. II. Arist.*
(c) *Hist. Philos. Orient. P. I. cap. I.*

obscurior historia. Quae enim vis ipsius nominis, quod ita a Graecis expressum est, unus an plures fuerint, & qua aetate vixerit, vehementer inter se dissentiunt Eruditi. Nam & sex, & quatuor, & tres, & duo, & unus alii ab aliis recensentur. Vero tamen similius est duos fuisse, Chaldaeum alterum, alterum Persam. Illi quidem artium & scientiarum inter Chaldaeos inventio vulgo tribuitur. Non pauca scripta illum auctorem habuisse narrantur, praesertim *vicies centum millia versuum*, quos ab Hermippo Smyrnaeo, qui sub Ptolomaeis floruit, explanatos esse refert Plinius (*a*). Exstant adhuc λόγια, sive *Oracula*, quae Zoroastri tribui solent, quibus Chaldaicae Philosophiae compendium confecit laudatus Stanlejus. Eorum συλλογὴν Francisco Patricio acceptam referimus, qui unde unde ipsorum fragmentis conquisitis, tres & viginti supra trecentos versus collegit, & pro argumenti affinitate conjunctos in undecim sectiones dispertivit. Hujusmodi collectionem *Tomo II. Operum Philosophicorum* adnexuit Joannes Clericus adjectis notis, atque *Indice Philologico*.

Praeter Zoroastrem apud Chaldaeos floruere *Azonaces* Zoroastris Magister, *Marmaridius* Babylonius, *Zarmocenidas* Assyrius, *Zoromasder* Teucer, *Naburianus*, aliique obscurioris notae philosophi; sed supra ceteros commendantur *Belus*, & *Berosus*. Illi Astronomiae cultura adscribitur, & tradidere Aegyptii Neptuni, & Lybiae filium fuisse, ab eoque coloniam ab Aegypto

(a) *Lib. XXX. cap. I.*

pto secus Euphratem ductam, institutosque Sacerdotes rerum Physicarum, & Astronomicarum Magistros, quos Babylonii *Chaldaeos* nuncuparunt (*a*). Berosus vero recentior (nam Alexandri Macedonis aevo floruisse fertur) primus Chaldaicas disciplinas Graeciae intulit: eique propterea ab Atheniensibus statuam inaurata lingua in Gymnasio positam esse auctor est Plinius (*b*).

Chaldaeorum doctrina ita naturas omnes contemplatur, ut primo aeternas, tum quae initium habuerunt, sed fine cariturae, ac tertio perituras consideret.

I. Prima classis supremum Numen continet, quem אור *Or*, seu *Ignis* nomine appellabant. Deum *ὑπερκόσμιον φῶς* (*supramundanum lumen*) habitare, neque adiri posse, nisi per spiritus medios inter illum & homines, ipsorum dogma fuit. Nulla igitur impietatis nota Chaldaeis inurenda videtur, quam nonnulli Philonis (*c*) testimonio adducti, ipsis adscribunt. Quamvis enim Deum spirituum omnium fontem per universas Mundi partes tanquam animam diffusum esse docerent: nunquam tamen Mundum & astra loco Dei habuerunt. Chaldaeos sane de Dei cultu & religione apud omnes Gentes bene audiisse praedicat vetus oraculum apud Justinum (*d*) aliosque;

Mi-

(a) *Diod. Bibl. lib. I.*
(b) *Lib. VI. cap. XXXVII.*
(c) *De Migrat. Abrahami p.* 145.
(d) *Paren. ad Graecos pag.* 16. *Edit. Col.* 1686.

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς.
Soli Chaldaei ſapientiam ſortiti ſunt, & Hebraei,
Pure colentes Deum regem per ſe genitum.

II. Altera claſſis ſecundum genus Deorum & Daemonum complectebatur. Illos bona revera conferre, hos autem deceptores eſſe, atque ἀντιθέους dicebant. Multa de hujuſmodi Diis in Oraculis habentur, quae ſi genuina eſſent, Chaldaeorum doctrinam nobis aperire poſſent. Conſulatur Stanlejus.

Ad hanc alteram claſſem revocat hominum animos Auctor *Explanationis brevis* dogmatum Chaldaeorum. Quae de Animis Oracula docent, Platonicorum doctrinam redolent. Ibi enim ita Chaldaeorum ſententia exhibetur: Animos ignis divini partem eſſe: e lucidis ſupra Lunam ſedibus demitti, propter πτερορρύησιν, *quod eis pennae defluxerint*, h. e. a primigenia perfectione deſciverint; aetherio quodam corpore veſtiri, quod veluti ipſorum ὄχημα *vehiculum* eſſet; eos tandem rurſus in priſtinas ſedes redire, ſi bene operam ſuam corpori accommodaverint; ſin male, deterioribus ſedibus addici. Ceterum quod humanos animos ex Deo emanaſſe, atque immortales eſſe Chaldaei docuerint: alterum quidem ex fragmento Beroſi, quod nobis exhibet Georgius Syncellus (*a*), colligit Jacobus Bruckerus (*b*), alterum

(a) *In Chronico pag.* 28.
(b) *In Hiſt. Crit. Philoſ. Parte I. Lib. II. cap. II. §. XXIII.*

rum vero ex Theopompo apud Laërtium ostendit Clericus (a).

III. Quod vero ad res corporeas attinet: materiam a Chaldaeis aeternam positam esse ait Diodorus Siculus: mundi tamen formam, ordinem, atque ornatum a divina providentia constituta esse non negabant. Etenim cit. Berosi fragmentum, ubi *ἀλληγορικῶς* Cosmogonia exponitur, haec docet: 1. fuisse olim tempus, cum omnia erant *σκότος καὶ ὕδωρ*, *tenebrae*, & *aqua*, idest fluxa, informis, & caliginosa materies. 2. Deum, quem *Belum* vocat, *mediis dissectis tenebris*, idest caliginosa hac materia in ordinem digesta, Caelum, & Terram effecisse: deinde cum Caelum, & Terram disterminasset, Solem, Lunam, & reliqua tum vaga tum inerrantia sidera condidisse. 3. Eundem hunc Deum per universam naturam intentum vim, & efficientiam rebus omnibus tribuere. Porro in Chaldaica Berosi Cosmogonia Deus ad Caeli terraeque conditum velut administra utitur muliere quadam, cui nomen *Omorocha* (b). Quod quidem nomen confictum videtur ex hebraicis vocibus *Em-Ruah* idest, Mater Spiritus. Nempe ut expressam eo nomine suspicari liceat vim quamdam genitalem, seu mavis Domini spiritum illum, qui initio rerum incompositam stupidamque materiam suo velut incubatu fovit, & ad erumpendum in ope-

(a) *In Indice Philolog. V. Resurrectio.*

(b) *A Chaldaeis dicta fuit* Thaluth; *quae non adeo accedit Graeco vocabulo* *Θάλαττα* *h. e.* Mare, *ut hoc ab illa profectum videatur.*

ra provocavit, columbae instar ova excludentis.

Haec quidem erat arcana Chaldaeorum disciplina. Sed quam populus doctrinam palam profitebatur, idololatricum cultum praeseferebat. Solem enim & Lunam aliaque sidera veluti Deos venerabantur. Qui sane Solis & Lunae cultus apud Orientis populos vetustissimus erat. Ex Jobi enim testimonio, cujus patria Chaldaeae, ut nonnullis videtur, finitima erat, orientem Solem, & novam Lunam jam tum coli consuevisse patet (a).

Auctarii loco hic addam Chaldaeos eruditionem suam non more Graecorum, sed traditionis πατροπαραδότῳ ope, quae nimirum *a patre in filium transmitteretur*, propagasse, teste Diodoro Siculo (b). Eos praeterea secundum varias, quas profitebantur disciplinas, sectis inter se divisos fuisse. Erant enim apud ipsos חרטמים *Charthumim*, אשפים *Ascaphim*, מכשפים *Mechascephim*, & חשדים *Chasdim*, quos quidem a Nabuchodonosoro accersitos esse, ut somnium divinarent, narrat Daniel (c).

Qui ultimo loco recensentur *Chasdim* sive Chaldaei sunt, qui σοφοὶ a Graecis appellantur: quo sane nomine inter Babylonios eruditi cohonestabantur. Sed quod munus, quae disciplina iis propria & peculiaris fuerit, quos primo loco memorat Daniel, non constat.

Stan-

(a) *Cap. XXXI. 26. 27.*
(b) *Lib. II. pag. 82.*
(c) *Cap. II. 2.*

Stanlejus (*a*) ita singulis munia dispertit. *Charthumim* a Pers. חרד, *Churad*, *cognoscere* dicti, rerum naturae cognoscendae operam dabant, sive Theologiae & Physicae.

Ascaphim Persarum Magi erant, & eorum rituum, quos Magicos appellant, magistri. Magia porro, si Judaeis fidem adjungere velimus, duplex est, alia *Naturalis*, alia *Theurgica*. Prima rerum omnium caelestium & sublunarium virtutes scrutatur: quo Magiae genere mira a se patrari jactabant Chaldaei, teste Mose Maimonide (*b*). Altera eo intendit, ut boni daemones evocentur, mali vero averruncentur.

Machascephim divinandi artes prosequebantur. Hae autem in somniorum & portentorum interpretatione, atque in extispicio sitae erant. *Maleficos* Vulgata appellat, a חשף *Chisseph*, *praestigiis usus est*. At *revelatores* interpretatur Stanl. ab Arab. חשף *Chascaph*, *revelavit*, ut qui res absconditas revelarent.

Tandem *Chascdim* peculiari sensu eos nuncupari censet laud. Stanl. qui Astrologiam profiterentur. In qua quidem scientia Chaldaeorum eruditio inclaruit, quippe eam Babylonicae regionis partem incolebant, quae Arabiae desertae finitima juxta Persicum mare camporum planitie & magnitudine patebat. Hinc ut advertit Cic. (*c*) *cum caelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur*, *trajectiones motusque stellarum*

 rum

(a) *Hist. Phil. Orient. lib. I. cap. X.*
(b) *Moreh Nebhochim Lib. III. cap. XXXVII.*
(c) *De Divinat. Lib. I. cap. I.*

rum observaverunt. Hujus porro Scientiae duae erant partes; una motus legesque siderum contemplabatur: altera eorumdem effectus investigabat, ut nimirum inde praedici posset, quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset.

§. III.

De Persis.

CHaldaeis acceptam referunt omnem eruditionem suam Persae & Sabaei, quorum illi ultra Chaldaeam ad meridiem inde Persidem, hi autem hinc Arabiam incolebant. Apud Persas Philosophiae institutorem fuisse *Zerdusht*, aut *Zardusht* communi consensu omnes perhibent; unde Graecorum Zoroastres effictus plerisque videtur. Hunc ajunt adhuc juvenem cum Judaeis in Perside captivis diu versatum fuisse, eosque captivitate soluta secutum in Palaestinam cum Ezra sese adjunxisse; inde in Persidem regressum Prophetam agere coepisse, librumque evulgasse inscriptum *Zend*, seu *Zend-va-esta*, quasi dicas *igniarium*, sumpta nimirum inde metaphora, quod sicut duorum lignorum attritu ignis excutitur, ita Religionis studium illius libri opera excitandum erat. Hujusmodi librum immensi voluminis Persarum lingua & litteris vetustissimis exaratum, selectiora quaedam inde depromens quidam Persa Sacerdos, in Medo-Persicam linguam convertit: cujus generis sunt liber *Sadder*, *Zeratusht-nama*. Sed legendus Thomas Hyde

de (*a*), qui omnium diligentissimus res veterum Persarum perscrutatus est.

Persarum Magorum eruditio ab *Hystaspe* & *Hostane* plurimum exculta esse perhibetur. Illum aetate Cyri vixisse refert Herodotus. Hunc autem Xerxi in bello, quod Graeciae intulit, sese comitem adjunxisse, & *semina portentosae artis*, magiae scilicet sparsisse testatur Plinius (*b*).

Magorum nomen apud Persas perhonorificum fuit; sapientibus enim peculiare erat. Quae sit vocis sententia inter eruditos non constat. Laudatus Hyde linguarum orientalium peritissimus *Magum* sive *Mog* incertae originis vocem esse ait, qua ignis cultor & Sacerdos significatur. Potissimum Magorum munus erat sacris praeesse, sacrumque ignis cultum, preces & sacrificia peragere. Eorum mores exponit Laërtius (*c*). *His vestis candida: lectus, humus: esca, olus, caseus, panisque cibarius est: arundine pro baculo utuntur.*

De Persarum Theologia tres ferme inter viros doctos opiniones versantur. Nonnulli duos coluisse Persas Deos volunt, per se exsistentes, atque initio carentes. Alii Deum unum summum & benignum, bina autem inferiora numina ab eo condita, bonum alterum, alterum malum, hanc gentem esse professam arbitrantur. Alii denique uni eos Deo supremo rerum omnium conditori supplicasse, atque huic malum quemdam genium adjunxisse contendunt. Mediae sententiae

(a) *De Relig. vet. Pers. cap. XXIV. & seq.*
(b) *Lib. XXX. cap. 1.*
(c) *In Prooemio.*

inhaerendum esse persuadent, quae ex Plutarcho, Theopompo, Diogene Laërtio, Theodoro Mopsuest. animadvertunt Cudwortus & Moshemius (*a*).

Plutarchus sane (*b*) duo a Zoroastre numina inducta fuisse refert sibi invicem contraria; quorum alterum omnis felicitatis bonorumque auctor; alterum malorum atque infelicitatis fons atque origo esset. Illud *Oromasdem*, hoc vero *Arimanium* appellari ait: Oromasdem, a purissima luce, Arimanium vero a tenebris ortum habuisse. Ille vero sex Deos ex Zoroastris opinione genuit, primum benevolentiae auctorem, alterum veritatis, tertium justitiae, reliquos sapientiae, divitiarum, & voluptatis, quae bona opera sequitur. Contra Arimanius totidem alios ipse procreavit, oppositorum malorum fontes.

Cum vero Oromasdes, & sidera, & alios quatuor & viginti Deos effecisset, atque in Ovo conclusisset; ab Arimanio, suisque satellitibus perforato Ovo, ac patefacto, mala cum bonis permista, atque ex temperatione istiusmodi variae exstitere concretiones, & ex variis concretionibus formae corporum productae.

Medium autem inter utrumque *Mithram* esse subnectit Plutarchus, summum scilicet Numen, quod ita illorum Deorum secum pugnantium conatus temperat, ut ex ipsorum conflictu nihil summa rerum detrimenti capiat; donec futurum erit, ut malignus Daemon funditus interimatur ac pereat, ac omnia pace ac tranquillitate fruantur. Ve-

(a) *Syst. Intell. Cap. IV. §. XIII.*
(b) *De Iside & Osiride pag. 369.*

Verum *Arimanii* nomine videntur Persae designatam voluisse Materiam, rem scil. tenebricosam, inertem, ac renitentem: nomine autem *Orosmadis* lucem, sive Aethera, naturam scil. mobilissimam, lucis, & caloris caussam, movendi, gignendique vi praeditam.

Diffident inter se Eruditi, quidnam Mitrhae nomine venerati fuerint Persae. Plurimi antiquissimos Persas Solem pro Deo coluisse, atque illum Mithrae nomine appellasse existimant, ducti ex veteri inscriptione, *Deo Soli invicto Mithrae*: atque Herodoti & Strabonis testimonio, qui Soli Persas equos immolasse narrant. Cujusmodi morem respiciens Ovidius ait (*a*):

> *Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,*
> *Ne detur celeri victima tarda Deo.*

At Cudworthus quamvis concedat Persas Solem loco Dei habuisse; Eubuli tamen auctoritate ductus, qui Mithrae historiam copiose conscripsit, Deum quemdam Sole majorem & praestantiorem Mithrae vocabulo designasse credit, cujus vivam ac spirantem veluti imaginem Solem esse putabant.

Et sane Persas saltem recentiores Numen Sole augustius veneratos esse testes sunt Xenophon & Plutarchus: quorum ille (*b*) ita Cyrum precantem inducit: Ζεῦ πατρῷε, καὶ Ἥλιε καὶ πάντες Θεοὶ κ. τ. λ. *Jupiter patrie, & Sol atque univer-*

(a) *Fastor. Lib. I. v.* 383.
(b) *De Exped. Cyri Lib. VIII.*

si Dii &c. Hic vero (*a*) Darium Ζεῦ πατρῷε Περσῶν, *o patrie Persarum Jupiter* exclamasse refert.

Praetereunda non videtur saepe laudati Moshemii de Persico Mithra sententia, quam fuse prosequitur in notis ad *Syst. Intell.* (*b*). Arbitratur quidem Vir doctissimus Mithram validum Virum aut Regem fuisse, ferarum venationi inprimis deditum, qui Persarum provinciam bestiis, latronibus, aliisque malis eripuit: atque ejus animam in Solem translatam Persas putasse; quem idcirco beneficiorum memores ita coluerunt, ut ipsum colere Solem viderentur.

Id autem 1. probat ex imaginibus, queis veteres Persae Mithram pingebant. Hae autem virum robustum exhibent, gladio cinctum, thiara Persica tectum, canibus stipatum, qui tergo tauri insidens eum coërcet, ac gladio conficit.

2. Ex equorum victimis, quas illi immolabant, ut inde pateret Mithram, dum in vivis esset, equis delectatum esse, quibus & bestias domuit, & praelia commisit. Hinc falsus Ovidius, qui equos Mithrae propter celeritatem consecratos fuisse censet.. Cur non enim aquilam, leporem, aliudve animal equo velocius dicaverint?

3. Tandem potissimum ex ritibus & caeremoniis, quas ea de caussa ubique institui notum est, ut veterum beneficiorum rerumque gestarum memoria vigeat, quibus ipsi heroës nomen & fa-

mam

(a) *Lib. II. de fortuna Alexand.*
(b) *Cap. IV. §. XVI.*

nam sibi pepererunt. Porro ritus adhibiti, cum aliquis Mithriacis sacris initiaretur, ejusmodi erant, ut venationis & praelii speciem quamdam praeseferrent. Huc etiam facit, quod, ut idem Auctor advertit, antrum, in quo mysteria peragebantur, bestiarum figuris exornatum erat: bestiarum nomina initiatis imponebantur: ac bestiarum pellibus iidem induebantur.

Quod ad Mundi incunabula spectat, recentiores Persae jactitant, vel inde a Zoroastris aevo esse sibi transmissam quamdam Cosmogonias historiam, quam lubet breviter recensere. Rerum igitur Universitatem non sex dierum spatio creatam putant, sed per sex varia temporum intervalla, quae ipsi *Gahanbarha* vocitant, quae simul sumta dies 365. sive annum integrum conficiunt.

Primum temporis spatium vocatur *Midyuzeram*. & diebus 55. constat, quibus Caeli perfecti sunt.

Alterum *Mid-yusham* sive *Mid-yushaham* diebus 60. quibus creatae fuerunt aquae.

Tertium *Pitishaim*, sive *Pitishoim* diebus 65. quibus ortum habuit Tellus.

Quartum *Jyaseram*, sive *Jyashehram* diebus 30. qui plantarum, ac arborum creationi addicti sunt.

Quintum *Midiyarim* diebus. 80. quibus animalium procreatio exstitit.

Sextum denique *Hamespitamidim* diebus 75. complectitur, hominis creatione decorum. Atque haec omnia ab ipso Deo Zoroastri fuisse significata unanimi tenent consensu (*a*).

De

(a) *Hyde pag.* 164.

De animorum immortalitate, atque hominum ad vitam reditu apud Persas constans erat sententia. Testis est Theopompus apud Laertium (a) ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς μάγους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους, *Magorum sententia resurrecturos homines, immortalesque futuros.*

His, quae hactenus delibavimus, praestat gustationis ergo adjicere, quae fusiori calamo tradit Thomas Hyde, cujus ἀκριβεστάτην diligentiam in veterum Persarum rebus colligendis atque illustrandis nemo unquam pro dignitate laudabit. Is nimirum totus in eo est, ut ostendat primitivam Persarum gentem unum Deum verum & aeternum coluisse: deinde cum veri Dei cultu Solis & Planetarum cultum ita immiscuisse, ut superstitionis potius, sive immoderatae in eos Planetas observantiae, quam idololatriae redargui possint. Addit praeterea Persas, ut Hierosolymitani ignis ritum imitarentur, perennem in ara ignem asservasse, eumque perquam sacrum in suis Pyreis Sacerdotum ministerio adhibito habuisse: quam tamen pyroduliam civilem duntaxat cultum praesetulisse docet. Tradit etiam primitiva Persarum principia duo fuisse, bonum unum aeternum, cujus nomen *Yezad*, seu *Izad*, & *Ormuzd*, unde apud Graecos, Ὠρομάσδης, malum alterum creatum, *Abreman*, seu *Abriman* dictum, quod Graecis rerum Persicarum Scriptoribus Ἀρειμάνιος.

§.IV.

(a) *In Prooemio.*

§. IV.

De Sabaeis.

Vetustissima Sabaeorum aetas, qui Arabiam desertam & felicem incolebant, tantis tenebris obsita est, ut eorum eruditionem, si qua ipsi informati fuerint, nisi per conjecturas assequi non liceat. Quamobrem quibus veterum Arabum doctrina curae est, 1. Pythagorae studium exhibent, qui suscepto ad Orientis oras itinere Arabas quoque, teste Porphyrio (a), invisit. 2. Reginam Austri producunt, quae ex Sabaea Arabiae regione profecta est, ut Salomonis sapientiam audiret. 3. Magos proferunt novi sideris lumine ab Orientis sedibus excitos, ut natum Regem adorarent, quos Arabas fuisse non levibus argumentis plurimi ostendunt. 4. Zabiorum Sectam proponunt, quae cum remotam suae originis antiquitatem praeseferat, Arabicae eruditioni non leve pondus addit.

Verum haec omnia non tanti esse videntur aliis, ut veterum Sabaeorum natio in Philosophicis studiis optime versata esse dicatur. Eorum enim doctrina hisce limitibus concluditur; in divinandi & somnia interpretandi arte, in sideribus observandis, & potissimum in aenigmatis callide struendis ac solvendis sese exercebant. Ceterum eos despicatui ductos, atque a Graecis indoctae Gentis loco habitos esse nemo diffitetur. Hinc

(a) *In vita Pythag*.

Hinc 1. Pythagoram apud Arabas divinationes ex avium volatu & garritu didicisse testatur Philostratus (*a*). 2. Reginae Sabae (si quidem illius Regnum est in Arabia; nam aliis in Aethiopia vel Aegypto collocatur) cum Salomone congressus aperte ostendit veteres Arabes in obscurarum quaestionum problematis confingendis totos occupatos fuisse. Salomonis enim sapientiam per aenigmata multa explorasse dicitur (*b*). Quod quidem ipsis cum ceteris Orientis Gentibus commune erat. Nullus enim toto Oriente mos fuit pervagatior, quam ut proponendis solvendisque quaestionibus vacarent, quae non ex Philosophiae penetralibus petitae, sed ejusmodi erant, ut in ipsarum solutione aut acuminis aut eruditionis specimen appareret. Hinc sua convivia hujusmodi aenigmatis condire solebant. Samsonis problema in epulis nuptialibus refert Scriptura (*c*). Ab Orientalibus ad Graecos aenigmatum studium propagatum fuit, quae ipsi γρύφους vocitabant. Eorumdem multa in medium affert Athenaeus (*d*).

3. Magi qui Hierosolymam nato Domino petiisse dicuntur, astrorum cognitione praedicantur. Eos praeterea non ex Arabia, sed ex Persia venisse post Petavium ostendit supra laudatus Hyde (*e*). 4. Zabiorum secta veteribus omnibus ignota, cujus primus Muhammedes, Arabesque post

(a) *In vita Apoll. lib. I. cap.* 14.
(b) *III. Reg. X.* 1.
(c) *Judic. XIV.* 12.
(d) *Dipnosoph. Lib. X. cap. XIV.*
(e) *De Religion. vet Persar. Cap. XXXI.*

post ipsum mentionem injiciunt, II. aut III. Ecclesiae seculo exordium habuit: uti pluribus ostendit Bruckerus (*a*).

Ceterum quod ad Sabaeorum religionem attinet, eos Solem & sidera coluisse dubitari non licet. Hujusmodi enim cultus apud Orientis populos antiquissimus est.

Alterum quoque vitae statum, ac animi immortalitatem professi sunt. Quae sane dogmata, aliaque ad morum institutionem spectantia axiomata carminibus consignasse fertur quidam Lokmannus inter omnes Arabes celeberrimus, quem Davidi σύγχρονον volunt (*a*). Hic fabulas Aesopaeis simillimas conscripsit; idcirco a nonnullis Aesopus ipse creditus est (*b*).

§. V.

De Phoenicibus.

PHoenices, qui longe lateque vagati plurimas per Europam deduxere Colonias, tanta nominis celebritate per totum fere orbem noti fuere, ut ab ipsis litteras inventas, Nauticam, atque Astronomiam Veteres profiteantur. Inter Phoenices antiquitate & doctrina praestantes laudantur *Moschus*, *Cadmus*, & *Sanchuniathon*.

De Moscho Phoenice primus meminit Posido-

(a) *Tom. I. pag.* 216. *Tom. III. pag.* 124.
(b) *Erbelot Bibl. Orient.*
(c) *Huet. des Romans*.

donius Stoicae familiae Philosophus, & systematis atomistici auctorem fuisse narrat. Posidonii testimonium exhibent Strabo (a), qui ante bellum Trojanum Moschum vixisse tradit; & Sextus Empiricus (b). Verum Athenaeus (c), aliique Moschum quemdam τὰ φοινικικὰ, seu de rebus Phoenicum scripsisse testantur.

Hinc Eruditorum controversiae, num primus idem, atque alter fuerit; num eorum ταυτότητι *identitate* statuta, rectius Moschus an Mochus dicatur; num tandem Physicae corpusculari praeluserit. 1. Fere omnes duos illos Mochum & Moschum pro uno homine habent. Quamvis nihil impedire videtur Moshemio (d), quominus duo inter Phoenices Mochi esse potuerint, quorum alter res patrias illustraverit, alter naturam speculatus sit. 2. *Mochum* Bochartus (e), aliique; *Moschum* cum ceteris Casaubonus (f) rectius dici tuentur: Forte nominum discrimen a diversa pronuntiatione profectum est, addito a Graecis sibilo. 3. Atomorum doctrinae fundamenta jecisse Moschum hunc Phoenicem Posidonii potissimum auctoritate ductus arbitratur Cudworthus (g). At Posidonii fidem in dubium re-

(a) *Geograph. Lib. XVI.*
(b) *Lib. IX. adversus Mathem.*
(c) *Dipnosoph. lib. III.*
(d) *Ad Syst. Int. Cap. I. §. X. n. 1.*
(e) *Geogr. S. P. II. Lib. II. cap. 7.*
(f) *Ad cit. loc. Athenaei.*
(g) *Loc. cit. n. d.*

revocant alii, quam suspectam habuerunt Veteres ipsi, inter quos Cicero *quaedam illum commenisci* conqueritur (*a*). Dignae sunt, quae legantur Bruckeri in hanc rem animadversiones (*b*).

Cadmus, quem Marshamus Aegyptium, Bocharthus vero cum plerisque Sidonium fuisse contendit, Graecarum litterarum inventione nomen sibi comparavit, quas Thebis conditis ex Phoeniciis litteris effinxit.

Sanchuniathonem ante Trojana tempora floruisse; resque Phoenicias memoriae prodidisse auctor est Philo Byblius, qui Adriani aevo vixit, atque illius libros ex Phoenicia lingua in Graecam transtulit. Graecae hujus versionis ἀποσπασμάτια quaedam supersunt apud Eusebium (*c*), aliosque. Diffident inter se Eruditi, num genuina sint isthaec Sanchuniathonis fragmenta. Bocharto, atque Huetio eorum γνησιότης probatur. At duo Henrici alter Ursinus, Dodwellus alter νοθείαν in ipsis odorati, Philonis figmentum esse existimant.

Juvat nonnulla ex argumentis, quae Sanchuniathonis fragmentum νοθείας arguunt, leviter perstringere: ut in hoc venerando remotae, ut arbitrantur, antiquitatis cimelio mirifice sibi plaudere desinant nuperi quidam nostrae Religionis impudentes ineptique irrisores. 1. Primus sane, qui elaboratae a Philone hujus versionis me-

(a) *Lib. I. de Fato*.
(b) *Tom. I. p. 231*.
(c) *De Praep. Evang. L. I. cap. 9*.

meminerit, est Porphyrius, [si unum excipias [a] Athenaeum] qui Christiani nominis juratus hostis, Sanchuniathonis fragmentum aptum esse duxit, quod sacris libris objiceret. At vel ipsum Sanchuniathonis nomen inauditum fuit omnibus Scriptoribus, qui Porphyrium praeivere, & qui in Phoeniciae viciniis floruerunt, atque hujus regionis antiquitates rimari satagebant. Justinus Martyr, qui Samaritanus erat, Tatianus Assyrius, qui pluries Phoenicum historicos laudat, Theophilus Alexandrinus, Tertullianus, Origenes de Sanchuniathone prorsus silent. Quin & post Porphyrii aetatem, si unus excipiatur Eusebius, neminem reperies praeterea, qui Sanchuniathonis fragmenti meminerit. Theodoretus quidem & Cyrillus Alexandrinus ab uno Eusebio hujus fragmenti notitiam edocti sunt: atque hic memoria vacillans Clementem Alexandrinum, non autem Eusebium laudat, & loco Philonis Byblii Josephum Graece Sanchuniathonis opus reddidisse asserit. Horum propterea testimonium caussae, de qua agitur, nihil favet.

2. Altum praeterea illorum silentium, a quibus nec Sanchuniathonis opus ignorari, nec praetermitti verosimilius potuit, facilem dubitandi aditum praebet, quin illud verum sit ac genuinum. Mirari enim subit, nullam hujus operis mentionem injecisse veteres illos Scriptores, quos Josephus memorat, Hieronymum Aegyptium, Menandrum Ephesinum, Dium, Hestiaeum, Phi-

[a] *Dipnosoph. lib. III. cap. XXXVI. Ubi tamen Συνιαίθωνι pro Σαγχυνιάθωνι legitur.*

Philostratum &c. qui in veteribus Phoenicum monumentis colligendis occupati, ea Graece reddita publico usui destinarunt. Qui factum est, ut tam illustre opus eorum diligentiam effugerit? Sed, quod magis mirere, vel ipse Josephus nihil de Sanchuniathone audiit: ille, inquam, Josephus, qui non paucos Phoenices Historicos laudat; qui Phoenicum tabularia, unde plura deprompsit, se excussisse testatur; qui tandem litterarum αὐτόγραφα laudat, quae ultro citroque Salomonem inter & Hiram commearunt, cujus patri opus suum Sanchuniathonem inscripsisse volunt.

3. Platoni itidem & Pythagorae indictus Sanchuniathon.. Atqui plura ipsi inter Phoenices rimati sunt, praesertim Pythagoras, qui cum Moschi nepotibus saepe congressus est. Quin cum Macedones Phoeniciam subegerunt, Mochus, Theodotus, atque Hypsicratus Historici Phoenices Graece Laeti opera redditi sunt, referente Tatiano [a]. At ignotus inter Phoenices Sanchuniathon, cujus opus per summam injuriam neglexissent Graeci.

Phoenicum doctrina, quod ad Cosmogoniam attinet, qualem nobis exhibent Sanchuniathonis fragmenta, ad haec capita revocari potest.

1. Ex omni aeternitate caliginosum quemdam fuisse aërem, spiritu quodam fecundum, & simul turbidum: rude atque indigestum Chaos.

2. Spiritum hunc amore Chaëos exarsisse, atque idcirco sese cum illo copulasse; quam spi-

[a] *Orat. ad Graec. p.* 128. *Edit. Oxon.* 1700.

ritus & rudis materiae societatem *ποθὴν cupiditatem* nuncupabant.

3. Ex hoc veluti conjugio natum esse *Mot*, h. e. mollem quamdam materiam paullo corpulentiorem.

4. Hanc nescio quam naturam fuisse rerum omnium seminarium; inde enim non solum orta animantia sensu destituta, ex quibus facta sunt animalia intelligentia praedita, in figuram ovi conformata, quae צופי שמים *Zophe Shamaim*, sive *Zophasemin* vocabant, h. e. *Caelorum exploratores*; verum etiam Sol, Luna, aliaque Sidera.

5. Denique vi ventorum & nubium immensas effusas esse pluvias; atque hinc factum esse, ut aquae hae calore Solis suo loco depulsae in aëra iterum confluentes, conflictu suo tonitrua & fulgura effecerint: quo sonitu animalia excita e limo veluti e somno ubique prosiluerunt.

His tandem additur, e vento *Colpja*, & muliere *Baau*, i. e. nocte prodiisse *Aevum*, & *Primogenitum*.

Atque hae Sanchuniathonis reliquiae (si quidem certa est ipsarum *αὐθεντία*) Phoenices de mundi origine tam nefarie philosophatos esse produnt, ut omnem plane divinitatem exterminaverint. Ut enim animadvertit Moshemius (*a*), Sanchuniathonis dogma est, rerum omnium initium *ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη* fuisse, *aërem* scilicet *tenebricosum*, & *spiritu foetum*. Non alium igi-

(a) *Ad Syst. Intell. Cap. I.* §. *XXII.* & *Dissert. de Creat. ex nihilo* §. *XXVI.*

igitur Deum illi agnovisse videntur, quam spiritum sive vim quamdam effectricem per universam materiae molem commeantem. Nam spiritus ille, qui in materiam se insinuasse dicitur, rationis & consiliis expers a Sanchuniathone admittitur, αὐτὸ δὲ πνεῦμα οὐκ ἐγίνωσκε τὴν αὐτοῦ κτίσιν, *Spiritus autem suum opus non cognoscebat*, ea nimirum quae ipsius cum materia copulatione consequebantur.

At non desunt qui Sanchuniathonis Cosmogoniam cum Mosaica consentire existimant, inter quos Hugo Grotius [*a*], Cudworthus, aliique. Hinc *Mot*, *Baau*, *Colpia*, aliasque voces, quae apud Sanchuniathonem occurrunt, ex Hebraeo fonte petere conantur. Nam *Mot* ex Cumberlandi [*b*] opinione ab Arabica voce *Matha*, h. e. *aquis dissolvere* deductum hujusmodi dissolutionem praefert. *Baau* (ut Grotius, Mazochius [*c*], aliique interpretantur) idem est quod *Bohu* Mosaicum; denotatque ipsiusmet tenebricosi Chaëos materiam, sed in partes jam discretam, & ad singula mox formanda corpora veluti paratam. *Colpia* est ipsissimum Hebraicum *Kol-pi-iah*, h. e. *vox oris Dei*, vox illa scilicet Dei imperatrix, per quam omnia principio exstiterunt. *Primogenitus* est lux, rerum factarum natu prima. Denique *Aevum* est *Tempus*, quod

---

[a] *In not. ad lib. de Ver. Rel. Chr. L. I.* §. *XVI.*

[b] *Of the Cosmogonia of Sanchoniaton.*

[c] *Grot. loc. cit. Maz. Spicil. Bibl. Tom. I.*

jam tum procedere coepit, cum ex nocte, & luce primogenita dies primus exstitit.

§. VI.

De Aegyptiis.

Vetustissima Aegyptiorum sapientia magnum sibi apud posteros nomen comparavit, tum quia praestantissimi Graecorum Philosophi eos adire consueverint, ut abstrusiores inde doctrinas haurirent; tum vero potissimum quia ipse Hebraeorum dux Moses eruditus in omni sapientia Aegyptiorum fuisse in sacris Litteris praedicetur (a). Eruditionis omnis apud Aegyptios origo cuidam *Theuth*, sive *Thoyth*, sive *Thoth*, qui Graecis Ἑρμῆς, Latinis *Mercurius* dicitur, vulgo adscribi solet. Veram hujus historiam e fabulis, quibus eam veteres Graeci implicuerunt, difficile admodum est expiscari. Quae porro eruditi viri in medium proferunt, qui vel Adamum, vel Henochum, vel Josephum Aegypti proregem, vel Chanaanum, vel tandem Mosem sub Hermete latere arbitrantur, incerta prorsus sunt

(a) *Nolo autem quis opinetur Marshami & Spenceri sententiam secutus, Aegyptios antiquitate ceteras quascunque nationes praecessisse, easque ne Israelitis quidem exceptis omnia docuisse, quae Religionem & civilem politiam spectant. Legatur, si lubet, Hermannus Witzius, qui commentum istud refutavit*, in Aegyptiaca, sive de Aegyptiacorum sacrorum cum Hebraicis collatione.

ſunt, & non innixa, levibus conjecturis. Ceterum hujus Viri apud Aegyptios celebratiſſima fama eſt. Ipſum enim una cum litteris ſcientias omnes Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, & praeſertim hieroglyphicam ſcribendi rationem inveniſſe ferunt. Hermetis e Veteribus meminerunt Sanchuniathon apud Euſebium (*a*), Manethon Sebennita, qui ſub Ptolemaeo Philadelpho floruit, apud Georgium Syncellum (*b*), & Plato (*c*).

Alter ab iſto apud Aegyptios celebratur Hermes, cui cognomen Τρισμέγιστος, h. e. *Termaximus* impoſitum eſt. *Siphoam* ab Aegyptiis appellatum fuiſſe perhibet laudatus Manethon. Huic ſcientiarum inſtauratio atque incrementum adſcribitur. Verum ea potiſſimum de cauſſa ſuam Aegyptiis ingenii praeſtantiam probavit, quod Hermeticas columnas, quas nimirum arcanis figuris inſignitas primus Hermes reliquerat, interpretatus, myſteria in iis deliteſcentia veluti e tenebris ad lucem evocaverit. Atque hinc Hermetici libri originem ſuam arceſſunt; quorum tantam fuiſſe copiam narrat Jamblichus, ut fidem omnino ſuperet. Eorum nonnulli hodie dum exſtant, quos recenſet Fabricius (*d*); in iis tamen Platonicorum, ac pſeudo-chriſtianorum fraudem deprehenderunt non pauci Eruditi.

Ab hiſce auctoribus ſapientia omnis in Ae-

(a) *Praep. Evangel. Lib. I. cap. IX.*

(b) *Chronogr. p.* 30.

(c) *In Philebo & Phaedro.*

(d) *Biblioth. Graec. Lib. I. cap. II.*

gyptios derivata est, quam sibi concreditam Sacerdotes servabant. Hi enim in antiquis illis figuris aperiendis toti erant, atque Hermetis vestigiis insistentes, praecepta sua figuris atque imaginibus vestire in more habebant. Hujusmodi imaginum reliquias nobis exhibet Mensa Isiaca, quae hodie exstat Taurini penes celsissimum Sabaudiae Ducem; ejusque exemplum expressum in lucem edidit Laurentius Pignorius, atque eruditum Commentarium subjecit.

Ex hac porro disciplina, quam *symbolicam* dixeris, illud profectum est, ut duplex apud Aegyptios Theologia distinguenda sit, popularis una, altera *ἀπόῤῥητος*, *arcana*, quae Sacerdotibus duntaxat, Regibus, aliisque paucis cognita erat. Testantur id Origenes (*a*), Clemens Alexandrinus (*b*), aliique.

Quid vero arcana ipsorum Theologia complecteretur, non constat inter Eruditos. Nonnulli Atheismi nota Aegyptios inurendos esse existimant, eosque non alios agnovisse Deos statuunt, quam aspectabilem mundum, sidera, hominesque, quos rerum gestarum magnitudo ad Deos evexerat. Id sane Aegyptiis adscribunt Chaeremon quidam apud Porphyrium (*c*), & Manethon, atque Hecatheus apud Diogenem Laërtium,

(a) *Lib. I. contra Celsum.*

(b) *Strom. Lib. V.*

(c) In Epist. ad Anebanem Aegyptum, *quam Jamblichi libro* de Mysteriis Aegyptiorum *praemisit Theophilus Galeus. Eusebius autem hujus Chae-*

tium, qui (*a*) hos testes appellans refert, Aegyptiis ἀρχὴν μὲν εἶναι τὴν ὕλην· Θεοὺς δ' εἶναι ἥλιον καὶ σελήνην· τὸν μὲν, Ὄσιριν, τὴν δ' Ἶσιν καλουμένην, *rerum scilicet initium materiam esse: Deos vero Solem & Lunam: illum Osirim, hanc vero Isim appellatam*. Quibus quidem testimoniis adductus, Aegyptios impietatis adversus Deum arguit Eusebius (*b*).

Verum ab hac impietatis nota Aegyptios liberat Cudworthus (*c*), atque arcanam ipsorum Theologiam Deum unum prae se tulisse ait, qui rerum omnium parens, mundique aedificator fuerit. Haec autem tum ex Hermeticis libris colligit, quos licet omnes genuinos esse negat, at eorum quosdam in Aegypto fuisse exaratos, atque Hermetis dogmata comprehendere tuetur: tum vero ex non paucis Veterum testimoniis; quos inter Plutarchum audire praestat, qui (*d*) Aegyptios τῷ πρώτῳ Θεῷ, *principi Deo* supplicasse; & ritus omnes, quibus Isidem ipsi colebant, eo intendisse narrat, ut τοῦ πρώτου, καὶ κυρίου, καὶ νοητοῦ γνῶσιν, *primi* scilicet, *domini*, & *quem sola mente intueri licet*, *cognitionem* sibi compararent.

Hic autem de Aegyptiorum Theologia statuere aliquid veri similius, valde operosum esse

---

Chaeremonis verba laudat cit. loc. Praep. Evang. Lib. III. cap. IV.

(a) *Systém. Intell. Cap. IX. §. XVIII.*

(b) *Praep. Evang. Lib. III. Cap. IV.*

(c) *System. Intell. Cap. IV. §. XVII.*

(d) *In lib. de Iside & Osiride.*

censeo. Neque enim nova est isthaec dissensio de veterum Aegyptiorum religione, sed quae jam tum a Plutarchi aevo exarsit, cujus speciem quamdam nobis exhibet ipsius liber de Iside & Osiride. Quae docti quique Viri de Aegyptiis attulere, hic prosequi non patiuntur Synopsi Historicae, quam conscribimus, constituti limites. Consulantur, si lubet, Bruckerus [a], & praesertim Moshemius, qui rem propius attigisse videtur [b].

Illud tamen non est praetereundum, quod pugnantes hujusmodi sententiae a nonnullis hoc pacto conciliari posse videantur., si nempe discriminis locorum ratio habeatur. Nam aliud religionis specimen inferioris Aegypti regiones, aliud Thebaidis superioris incolae prae se tulere. Illic varia idololatriae genera obtinebant. Heic vero Deus summus, & immortalis sub nomine *Cheph* colebatur; atque ob eam rationem minime ipsi pro sacrorum animalium victu persolvebant, quidquid aliis idololatris imperabatur, uti testatur Plutarchus [c].

Arcanae Aegyptiorum Theologiae doctrinam de hominum animis, & mundi origine subnectemus. Atque Animos quidem perennes & immortales habitos fuisse, docentibus Herodoto [d], aliisque,

[a] *Histor. Philos. T. I. p.* 284.
[b] *Not.* 158. *ad Cap. IV.* §. 18. *System. Intell.*
[c] *In lib. de Iside, & Osiride.*
[d] *Lib. II. cap.* 123. Aegyptii primi exstiterunt, qui dicerent animam hominis esse immortalem.

que, explorata res est. At quid de ipsorum conditione, ubi corpore soluti sint, senserint Aegyptii, definire facile non est.

Herodotus [a] enim, Hecatheus, & Aristagoras apud Laërtium [b] in ea ipsos fuisse sententia narrant, ut animos in brutorum animantium corpora transire, & per tria annorum millia vagari per singula animantium genera, ac tandem rursus hominis corpus repetere existimarent. At his adversantur, quae Porphyrius & Plutarchus referunt. Hic [c] enim ait Aegyptios subterraneum locum, in quem putant animos a morte ferri, *Amenthem* vocare, h. e. dantem & accipientem, ab Hebr. נתן *natan*, *dedit*, ut ἐτυμολογεῖ Bocharthus [d]. Ille [e] vero defunctorum hominum animos primum in Solem & sidera transferri, tum Deorum contubernales fieri Aegyptios sensisse refert.

Quod vero ad Cosmogoniam attinet: Aegyptios materiam aeternam censuisse patet ex Laërtio, cujus superius verba recitavimus. At quod mundum originem habuisse existimaverint, testatur idem Laërtius; addit enim τὸν κόσμον γεννητὸν, καὶ φθαρτὸν, *mundum ut ortum*, *ita interiturum*. Hujus autem fabricationem non casu & fortuito, sed Deo moderante factam, eos docuisse inde colligit Cudworthus, quod Simplicius, quae Mo-

[a] *Loc. cit.*
[b] *Id Prooemio.*
[c] *De Isid. & Osir.*
[d] *Defens. adversus object. Salmasii Resp. 3.*
[e] *De Abstinent. Lib. IV.* §. 10.

Moses de rerum natura a Deo constituta refert, *μύθυς Αἰγυπτίυς* *commenta* esse *Aegyptia* affirmaverit.

Totam autem Aegyptiacae Cosmogonias rationem Diodorus ad haec capita revocat:

1. Ante Caelum, Terramque conditam unum fuisse totius naturae aspectum, permixtam scil. & indigestam materiam, aëris nebulosi instar.

2. Κράτος ἐνεργοῦν καὶ ἀγαθοποιὸν, i. e. *numen quoddam efficiens*, & *beneficum* aërio chao confusum, omnem huic motum, & vitalem calorem impertivisse. Porro Aegyptii Materiam nomine *Isidis*, numen vero materiam agitans nomine *Osiridis* consecrarunt.

3. Aërium id Chaos vehementi motu agitatum in diversas naturas abiisse. Quidquid enim maxime igneum, ac leve fuit in sublime se extulit, effecitque Aethera, unde genita sunt sidera. Reliqua vero uvida, & coenosa materia propter gravitatem in imum locum confluxit: ejusque partes tenuiores, continuato motu, in unum coactae *Aquam*; corpulentiores vero ab aestu solis & perflantibus auris sensim duratae *Terram* constituerunt.

4. Mundo huic multiplex ab eluvionibus, & exustionibus impendere exitium, ejusdemque varia per intervalla futura *ἀποκαταστάσεις renovationes* (a).

Vulgaris Aegyptiorum Theologia, qualem nimirum publica populi religio praeseferebat, foedis-

(a) *Diod. quod Euseb. de Praep. Evang. lib. I. c. 7.*

diſſima ſuperſtitione erat inquinata. Tam enim inſana Deorum multitudine abundabat Aegyptus, ut non ſolum beſtiis, iiſque horridioribus, verum & rebus inanimis cultum impenderit. Hinc Juvenalis [a]:

Quis neſcit, Voluſi Bithinice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec: illa pavet ſaturam ſerpentibus
Ibim:
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci . . .
Illic coeruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum & caepe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus haec naſcuntur in hortis
Numina!

Mirum eſt quantum & Veteres & Recentiores diligentiae adhibuerint, ut tam portentoſae religionis cauſſas eruerent. Praecipuas aliorum ſententias fuſe & κριτικῶς perſequitur, ſuamque profert ſaepe laudatus Moshemius [b].

Porro ipſe primo advertit ejuſmodi fuiſſe animalium cultum in Aegypto, ut quaedam univerſae nationi, quaedam vero certis oppidorum incolis ſacra fuerint. Praeterea illa ejus fuiſſe naturae, ut multum Aegyptiis utilitatis afferrent; haec autem neque utilia, neque noxia, aut nonnunquam exitioſa. Ac tandem quae ab omni-

[a] *Sat. XV. v. 1.*
[b] *Loc. ſuperius cit.*

omnibus colebantur animalia, nulli hominum poena capitis violare licuisse.

Cum ea igitur fuerit Aegypti consuetudo, inde ortum esse bestiarum cultum autumat, quod cum Reges civium emolumento prospicere vellent, non modo legibus cavere, ne vim bestiis utilibus inferrent, verum & religione leges communire sategerint: Sacerdotum opera adhibita, qui Diis certas sacras esse bestias in vulgus disseminarent. Ex qua quidem populi opinione factum esse ait, ut singulae deinde provinciae suis peculiaribus Diis certa quaedam animalia dedicaverint, quibus illos oblectari arbitrarentur.

Bestiarum vero noxiarum cultum in Aegyptum invectum existimat, postquam Persarum, qui Aegyptum occuparunt, de Deo bono & malo opinionem adoptavere. Metus enim maligni Numinis eos impulit, ut immanes & feras belluas, quarum amore illud duci sibi persuadebant, venerarentur. Atque haec sunt Cl. Moshemii conjecturae.

§. VII.

De Indis & Sinis.

I. INdos ultimo loco inter Orientis populos recensemus, licet post Persas, quibus sunt finitimi, invisendi fuissent; ipsorum enim philosophica dogmata e variis, quas nonnulli in hisce regionibus peregrinati retulerunt narrationes, vix aut ne vix quidem licet expiscari. Alii enim alia nobis venditant, quibus nostra

fere

fere memoria Indos adire licuit. Quidam eos perhibent aeternam mundorum sibi succedentium seriem admittere. Sunt qui tradunt illos statuere Deum, cum mundum condere vellet, materiam ex ipsa sua essentia, instar araneae fila e sinu suo educentis, extraxisse.

Quae autem refert Abrahamus Rogerius, ut alios omittamus, omnino ab his discrepant. Ita enim ait *Brachmanes*, seu *Bramines* (quo nomine Indorum Philosophi nuncupantur) de Deo rerumque origine sentire. Unum summumque Numen esse, quod appellant *Vistnou*. Hoc alium produxisse Deum nomine *Bramam*, genitum nimirum ex flore, qui immensa in abysso ante res conditas nataverat. Bramam deinde, hanc illi supremo Numine potestatem impertiente, rerum naturam procreasse.

Atque haec de Brachmanum opinionibus tradunt Recentiores. Longe diversa nobis transmiserunt Veteres, qui, postquam Alexander M. everso Persarum imperio victricia arma Indiae intulit, de hisce populis aliqua audire potuerunt. Nonnulla de veterum Brachmanum placitis apud Strabonem (*a*), Plutarchum (*b*), & Pseudo-Origenem (*c*) consignata habemus. Exstant praeterea duo libri, ubi dedita opera res Indiae pertractantur, quorum alter titulum praefert *De Gentibus Indiae & Brachmanibus*, qui Palladio Lausacae Historiae Scriptori a Caveo adscribitur,

(a) *Geogr. Lib. XV.*
(b) *In Vita Alexandri.*
(c) *Philosophum. cap. 24.*

tur, sed renuente Casimiro Oudino: alter inscriptus *De Moribus Bracmanum*, quem D. Ambrosio olim tributum, ipsi abjudicandum esse censuerunt Maurini Patres.

Porro Strabo, sive potius Megasthenes apud ipsum, ita Brachmanum scita de Mundi Deique natura exponit. Mundum, ait illis *& ortum & corruptionis obnoxium, & conglobata figura praeditum* videri: Deum autem *conditorem & administratorem ejus totam molem pervadere*. Quibus similia fere sunt, quae apud Pseudo-Origenem leguntur. Inquit enim Deum *corporeum esse & vestitum corpore suo eodem modo, quo quis gestit indumentum ex pellibus ovinis*. Atque addit Deum esse *lumen, non qualis Sol aut ignis, sed esse Deum λόγον, non articulatum sermonem, sed illum cognitionis, cujus ope occulta mysteria cernantur a sapientibus*.

Unde colligere est eam fuisse, hisce referentibus auctoribus, veterum Brachmanum sententiam, ut Deum opinarentur lumen quoddam esse *intellectuale* instar animae per omnes mundi partes sic fusum, quasi mundo veluti corpore induatur.

Ab hac etiam sententia minime discrepant, quae afferuntur ex recondita illa, studioque incredibili asservata antiquissimorum librorum sylloge, quam *Vedam* nominant, & quam veluti totius sapientiae, ac religionis regulam venerantur hodie Bramines. In hujus quadripartiti Operis libro primo, in quo doctrinam de Deo, & Mundo contineri ajunt haec legi testatur Cl. Bouchetus in Epist. ad Dan. Huetium: In exordio

dio rerum nihil exstitisse praeter Deum, & Aquam; Deum autem summis aquis innatasse.

Sed & altera rerum origo ab alio sacro libro *Shaster* deducta memoratur. Deum nempe principio quatuor Elementa creasse, quae cum inter se commista essent, a Dei potentia fuere disjuncta. Cumque per amplissimum tubum supra aquas flaret, tenuiores expansae, ac distentae in Ovi formam se conglobarunt. Inde orta Caelorum immensa spatia. Ex crassioribus vero globus rotundus emersit Terra, & Oceano constans. Tum sidera, & animantia creata sunt, donec ex Terrae visceribus primos parentes Deus eduxit, quorum nomina *Pourous*, & *Porcoutee* [a].

Jam vero de hominum animis, si Palladio fidem adjungere velimus, haec erat Brachmanum sententia. Originem humanae Mentis esse caelestem, e Deo genitam esse, atque e corpore discedentem ad eum redire. Quod quidem fluit ex illa Brachmanum de mundi anima opinione.

II. Ultra Indiam nobis occurrit amplissimum Sinarum imperium, quorum in Philosophicis studiis eruditio tam eloquentes oratores nacta est, ut horum judicio veluti absolutissimum Philosophiae specimen proponi possit; & Confucii nomen aeternae famae commissum esse videatur. At qui nec praejudiciis, nec privatis studiis abrepti Sinarum res investigarunt; vix aliquod verae Philosophiae vestigium apud ipsos deprehenderunt.

Qui *universalem Historiam* inter Anglos condi-

---

[a] *Lord de Relig. Bandiana.*

diderunt, hanc Sinensis Theologiae summam tradunt. Esse nimirum supremum Deum, caeli terraeque dominum, rerum omnium providum administratorem: hunc ex Chao omnia procreasse, quae concreta sunt & materia constant: Chaos autem duplicis esse generis: alterum occultum seu minus perfectum, quod *Yn* appellant: alterum patefactum sive perfectum, dictum *Yang*, seu *Yam*: haec duo principia in duo rursus alia abire, atque ex his porro quatuor exsistere, haec vero in octo alia dividi, atque ita porro in alia multa.

Verum qui se Jesuitas appellabant, & Confucium ediderunt, hodiernos Sinarum Philosophos tradunt (a) primum rerum omnium principium appellare *Tai Kie*, quo nomine *meram materiam primam* indicari ajunt: atque inde concludunt, *clare satis intelligi posse aeternitatem eos quandam rerum orientium occidentiumque antecedentem agnoscere numeroso illo annorum cursu*, quem huic mundo tribuunt, *infinitis vicibus repetito*. Hinc iisdem docentibus profanis potius Dei negatoribus, quam sapientiae consultis Sinas accensere oportet.

At negant viri praestantissimi, inter quos Bayerus (b), Sinarum majoribus idem, quod his, visum esse, eamque de rerum origine sententiam ab exteris Philosophis ac potissimum Indis invectam volunt. *Prisci illi mortales*, ait laudatus Auctor,

(a) *Declarat. Prooemial. ad Confuc. P. II. §. I.*

(b) *Comment. Origin. Sinicar. §. III. pag.* 272. *& seq. Musei Sinici T. II.*

ctor, *nihil de mundorum rerumque aeterna vicissitudine audiverant*: *ferebant enim hoc* Tay Ku (*a*), *quod caeli terraeque ortus antecesserat*, *tranquillum atque quietum rerum omnium chaos continuisse*, *donec impulsu quodam motum formam indueret*. Et Sinarum vetustissimos eam tenuisse sententiam demonstrare nititur, ut *ex aqua*, *tanquam materia*, *rerum formam productam esse* arbitrarentur.

Quinque apud Sinas veluti Canonici libri celebrantur, quos vetustissimae antiquitatis esse jactant, *Kingths* appellati. Illorum primus, *Y Kingth* dictus, quatuor & sexaginta figurarum, quae *Fohio* tribuuntur, tabulam complectitur: tum adjectae sunt harum figurarum interpretationes, auctoribus *Vouvang*, & *Tcheou Kong*, qui tertiae Dynastiae primi Imperatores fuerunt: ac tandem in haec duo capita Confucii commentarii accedunt. Alter *Yu Hingth* res gestas, quae posterorum memoriae dignae visae sunt, comprehendit, jam tum cum *Yao* & *Chune* Sinicae gentis legislatores regnarunt. Carminum collectio, quae in tertia Sinarum Impp. Dynastia scripta fuere, prostat in tertio volumine *Chi King*. Quartus vero *Tsunchiou* Confucii aetate exaratus, historiam exorditur ab anno nono & quadragesimo

(a) *Observat laud. Auctor ex libello* Siao ul lun, *h. e.* parvorum liberorum institutio, *antiquissimos gentis hujus sapientes vastam illam aeternitatem ante rerum principia exsistentem dixisse* Tay Ku, *summam vetustatem*, *sive* Puen Ku, *primam antiquitatem*.

Imperatoris *Pinvang*. Tandem quintus *Lixi* legum & vitae civilis rituum compendium complectitur : Hujusmodi *Kingths*, ut & Persarum supra memorati libri, tum & Indorum *Vedam*, summa sapientiae laude a nuperis Philosophis, quibus profana omnia placent, sacra autem sordent, adeo celebrantur, ut vel Mosis Pentateucho eorum judicio sint anteferendi : sed nuper editi vix digni visi sunt, qui legantur ab homine, qui tempus perdere in deliciis habet ; sunt enim absurditatum & ineptiarum pleni.

Paucis heic praeterea eos recensere juvat, quos veluti fulgida patriae lumina Sinica gens veneratur. Et primus quidem *Hobius* sese nobis offert, quem diluvium antevertisse, & primum leges ipsis tradidisse gloriantur Sinae. At ex tabula chronologica, quam a quodam *Nien* magni apud Sinas nominis viro exaratam attulit Franciscus Fouquetus, certam Sinarum originem quadringentis circiter annis Christum natum praecessisse observavit Kortholtus (a). Hunc litteras invenisse, & secretiorem Philosophiam aenigmatis involutam proposuisse perhibent.

Alter, cujus apud Sinas longe major est fama, nobis occurrit *Confucius*. Hujus & ingenii praestantiam, & in Philosophicis scientiam, & in Deum pietatem κριτικῶς persequi non vacat. Haec de illo apud Sinas perhibentur. Natalem ipsius diem, quem ad quingentos & amplius annos ante Christum revocant, naturae portentis celebratum

tum

(a) *Praefat. ad vol. II. Epist. Leibnitii*.

tum fuiſſe narrant Sinae . Illum vero addunt , poſtquam per ſummam morum innocentiam pueritiam tranſegiſſet , totum ſe in priſcorum ſapientium libris evolvendis poſuiſſe : uxore deinde ducta publica munera ſancte adminiſtraſſe : tum ſe magiſtratu abdicaſſe, & variis peragratis urbibus, moralis tandem Philoſophiae Academia inſtituta , ter mille diſcipulos ipſum audiiſſe . Tres & ſeptuaginta annos natus diem obiit . Tantis illum honoris ſignificationibus Sinae proſequuntur, ut & ſtatuam ipſi ſtatuerint , & ſingulis noviluniis a magiſtratibus, & univerſo litteratorum ordine in Gymnaſiis Confucianis ſacrificium ipſi hodiedum immoletur.

Poſt Confucium floruere *Li Lao Kiun*,& *Memcius*. Ab illo originem habet Secta , quam *Tao* Sinae appellant , Confucianae diſciplinae vehementer adverſa. Hunc vero morum quidem integritate inferiorem, at ingenii acumine & eloquentia Confucio ſuperiorem fuiſſe praedicant Sinae .

Celebriores Sinarum Philoſophos recenſuimus. Qui plura noſſe amat, adeat Bruckerum (*a*).

§. VII.

De Celtis, Scythis, atque Etruſcis.

TEmporis anguſtiae incepto itineri praeſcriptae in Orientis oris amplius nos immorari non ſinunt . Per florentiſſimas Europae regiones iter aggrediamur. Hic autem Celtarum , Scy-

(a) *Hiſt. Philoſ. T. IV. parte II. p.846. & ſeq.*

Scytharum, atque Etruſcorum populis curſim perluſtratis, Graecos inviſere in animo ſedet.

I. Porro Celtarum nomine Britannos, Gallos, Germanos, Hiſpanos denique more veterum intelligimus. Qui vero primum inter has gentes ſeſe nobis exhibent, ſunt *Druides*, quo nomine eruditos Celtarum appellatos fuiſſe novimus (*a*). Quae ſit autem hujus nominis ſententia plane non liquet. Vir Cl. Voſſius (*b*) ab Hebr. דרש *daras*, quod eſt *conſulere*, *exquirere* derivat; unde דרוש *darus*, *qui conſulitur*; quae vox congruit nomini *Druis*. Sed quoniam ex Veterum teſtimoniis conſtat Druides in quercetis ſuos celebraſſe conventus, atque eximio cultu quercus proſecutos eſſe; hinc a voce *Deru*, quae apud Celtas *quercum* denotat, Druidum vocabulum proficiſci quamplures exiſtimant.

Drui-

(a) *Verum Strabo* lib. IV. p. 136. *tria inter Gallos Philoſophorum genera diſtinguit. Ait enim*: Apud univerſos fere tria ſunt hominum genera, quae in ſingulari habentur honore: Bardi, Vates, & Druidae. Horum Bardi hymnos canunt, Poëtaeque ſunt. Vates ſacrificant, & naturam rerum contemplantur. Druides praeter hanc philoſophiam, etiam de moribus diſputant. De horum juſtitia ſumma omnium eſt opinio. Itaque & publica iis & privata judicia committuntur: & aliquando cauſſis bellorum diſceptandis, jam acie congreſſuros compoſuerunt. Maxime judicia de caede iis commiſſa ſunt.

(b) *Animadv. ad Caeſaris Comment. Lib. VI. cap. XIII.*

Druidum munia, auctoritatem, & disciplinam nobis transmisit Julius Caesar, quem audire praestat, ut Celtarum philosophiam perspectam habeamus. Is quidem ait (a) Druides *rebus divinis interesse, sacrificia publica & privata procurare, religiones interpretari*. Deinde subdit tanto apud populum eos esse honore, ut *de omnibus controversiis, publicis privatisque, constituant.* Quod *si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt*. Ad haec poenam gravissimam statutam esse in eos, quibus ita est interdictum. Nam *ii numero impiorum ac sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur*.

Docendi methodum, qua usi sunt Druides, idem Caesar exponit. Ad eos ait *magnum adolescentium numerum disciplinae caussa concurrere, qui a propinquis parentibusque mittuntur*. Praeterea illos, qui in disciplinam conveniunt, *magnum numerum versuum ediscere: neque fas esse ea*, quae discunt, *litteris mandare*: ne forte in vulgus disciplina efferretur, ut ipse Caesar conjicit. Nomine autem *versuum*, de quibus hic Caesar, nonnulli intelligi ajunt involutos verborum sensus: quod quidem Druidibus peculiare fuisse observat Laërtius (b); eos enim αἰνιγματωδῶς ἀπο-

(a) *De B.G. Lib. VI. cap. XIII.*
(b) *In Prooemio.*

ἀποφθεγγομένους φιλοσοφῆσαι, *obscure & per sententias philosophatos fuisse* narrat.

Quae vero Druides docerent, tradit idem Caesar. *In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios*. Atque hoc *μετεμψυχώσεως* dogma in caussa est, quamobrem Celtae in praeliis metu mortis neglecto animae prodigi esse viderentur; de qua quidem fortitudine non pauci Veteres meminerunt.

Addit Caesar: *Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, & juventuti tradunt*. At quaenam fuerit de Dei rerumque universitatis natura Druidum sententia Caesari latuit.

Verum in opere quodam, cui titulus *Edda* (*a*), & quod veluti codex est Celticae Mythologiae perhibetur *fuisse in Aurora seculorum Deus quidam*

(a) *Seculo XII. ineunte Semundus quidam Sigfusonius vetusta septentrionalium regionum monumenta summo studio invisit; indeque librum* Edda *conscripsit, quae vox* Matrem *significat. Opus in tres partes divisum est. In prima vetustissima Borealis Philosophia exponitur: in altera, & tertia Ethice, & Magia Odini recensetur.*

Seculo vero XIII. Gnorro Sturlesonius aliud Edda *primo simillimum composuit.*

Petrus Besenius anno 1665. *primum utrumque* Edda *vulgavit additis suis, aliorumque versionibus, ac adnotationibus.*

dam Ymerum *nomine*, *qui in sinu immenso spatii vivebat. Tunc nec Arenam, nec Mare, nec auras, nec Terram, nec Caelos exstitisse*. Ginnunga *h. e.* Profundum *sequutum esse* Ymerum. *Tum astra, Tellurem, plantasque genitas. Filios Boreae duobus lignis repertis* Mannum *finxisse*, *qui postea* Aschus *dictus*, & Emlam *illius uxorem*. Odinum *eis animum dedisse*, Oënerum *intelligendi vim*, Loëdurum *sanguinem*, & *venustatem. Hinc tandem Celtas universos ortum habuisse* (*a*). Tacitus *Mannum* illum etiam nominat, & ex *Tuistione* Terrae filio natum tradit (*b*).

Nationem porro Gallorum *admodum deditam religionibus* esse Caesar tradit: *atque ob eam caussam*, subdit idem Scriptor, *qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in praeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur; quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur*. Eos praeterea, quae sane popularis Celtarum religio, Mercurium maxime, Apollinem, Martem, Jovem, & Minervam coluisse refert. Mercurius quidem ab ipsis appellabatur *Teutates*,

(a) Edda in *Volupsa* stroph. 3. 4. 5. 17. 18.

(b) *Tacit. de morib. Germ. c.* 2. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriae & annalium genus est) Tuistionem deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios assignant.

fortasse ab Aegyptio *Thoth* sive *Theuth*, Mars *Hesus*, Jupiter *Thor*, a *taran* i.e. *tonitru*, unde Lucano *Taranis*, Apollo tandem *Belenus* vel *Belinus*, atque etiam *Abellio*. Hinc Lucanus (*a*):

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythiae non mitior ara Dianae.

II. Antiquiores Scythas licet ingenio rudes, sanctissimis tamen moribus fuisse Veteres ad unum omnes testantur. Quamvis autem praeter vitae innocentiam nulla apud Scythas Philosophica eruditio obtineret: nonnulli tamen subinde inter eos floruere, qui Graecorum admirationem in se converterint. Ii sane sunt *Abaris*, de quo mira praedicant mythologi: *Anacharsis*, quem carmine heroico de legibus Scytharum, de victus frugalitate, & de re bellica scripsisse narrat Laërtius, qui paucis ipsius vitam exponit (*b*). Praeterea *Toxaris*, quicum familiariter usum fuisse Solonem, postquam Athenas sapientiae caussa venisset, narrat Lucianus (*c*). Ac tandem *Zamolxis*, quem Pythagorici praeceptoris sui servum fuisse dictitant: at longe illum Pythagora antiquiorem Herodotus, aliique esse contendunt.

Quod vero attinet ad Scytharum Theologiam, eos Dei cognitionis expertes non fuisse vel ex eo arguitur, quod Abarim *Oracula Scythica*, & *Theogoniam* scripsisse Veteres tradunt. Mentis etiam humanae immortalitatem credidisse exploratum

(a) *Lib. I. Pharsal. v.* 444.
(b) *De Vit. Philosoph. Lib. I.*
(c) *In Scytha seu hospite.*

ratum eſt. Herodotus quidem perhibet Scythas, cum morti proximi ſunt, ſperare ſe ad Zamolxim eſſe perventuros.

Sed praeter Deum Zamolxim alia porro Numina coluiſſe ex Plutarcho deducimus, qui Anacharſim inducit cum Diis Scythice colloquentem, paſſimque dictitantem Scythas habere Deos, qui precibus hominum benignas praebeant aures (a).

III. Etruſcos divinandi futura artem profeſſos eſſe Veterum teſtimonia docent, quam ad Romanos ſe tranſmiſiſſe gloriabantur. Quid vero de Deo, mundique origine ſenſerint, non liquet. Cudwortho (b) quidem ſupremum totius naturae moderatorem, quem nomine *Jovis* colebant, Etruſci admiſiſſe videntur. Cujus quidem rei teſtem appellat Senecam, qui (c) poſtquam Etruſcorum opinionem de fulminibus expoſuerat, addit: *Ne hoc quidem crediderunt*, (Etruſci) *Jovem, qualem in Capitolio, & in ceteris aedibus colimus, mittere manu ſua fulmina, ſed eundem, quem nos, Jovem intelligunt, cuſtodem rectoremque univerſi, animum, ac ſpiritum, mundani hujus operis dominum & artificem*. At quis Philoſopho fidem habebit, qui populorum religionem ex diſciplinae ſuae legibus explicat? ut advertit Moshemius (d).

Sui-

(a) *Plut. in conviv. Septem Sapient. XII. L.*
(b) *Syſt. Int. cap. IV. §. XXVII.*
(c) *Nat. Quaeſt. Lib. II. cap. XLI.*
(d) *Not.* 17. *ad loc. cit.*

Suidas (*a*) historici cujusdam Etrusci fragmentum nobis servavit, ubi Scytharum dogma de Cosmogonia exhibetur, quam si cum Mosaica contuleris, plurimum consentire deprehendes, si tempus in rebus condendis a Deo insumtum excipias. Tyrrhenicum enim fragmentum sex annorum millia ante formatum hominem praeteriisse docet. Ex qua Etruscorum doctrina colligit Moshemius (*b*) aeternam illos statuisse materiam, e cujus quidem inertia tantae tarditatis in Dei operibus caussa repetenda esse videtur. Tyrrhenicam hanc Κοσμοποιίαν eruditis notis illustratam vide sis apud Cl. Mazochium (*c*).

§. IX.

De Graecorum Philosophia Mythologica.

GEntes, quarum hactenus Philosophiam scrutati sumus, *barbaras* Graeci appellabant. At barbaris hisce populis eruditionem suam acceptam referunt Graeci. Divinarum enim, atque humanarum rerum cognitionis semina Phoenices, Aegyptii, aliique Graeciae intulerunt; quae paullatim utpote benigniori terrae commissa in tam uberem segetem succrevere, ut innumeri praestantissimi Philosophi inde prodierint.

Prima autem Graecae Philosophiae initia ejusmodi fuerunt, ut sacrae praesertim doctrinae arcanis

(a) *In Lexico V.* Τυῤῥηνία.

(b) *Dissert. de Creat. ex nihilo* §. *XXVII.*

(c) *Spic. Bibl. T. I. de Tit. Gen. Sect. II.*

canis fabulis involverentur, quae externo, quem praeferebant ſenſum, plebis ingenio erant accommodatae. Hanc propterea Philoſophiam *Mythologicam* appellamus, quam potiſſimum proſecuti ſunt vetuſtiſſimi Poëtae, quos uſque ad ſeptuaginta recenſet Fabricius *(a)*. Celebriores vero, qui majorem Graecae Philoſophiae infantiae ſplendorem conciliarunt, praedicantur Orpheus, Heſiodus, atque Homerus; ut Linum Orphei praeceptorem, Muſaeum Orphei diſcipulum, Amphionem, aliosque ſilentio praetereamus.

I. Orpheus Mythologicae Philoſophiae princeps unanimi conſenſione a Veteribus ſalutatus, genere Thrax fuiſſe fertur; qui poſtquam ex Aegyptiis arcanam ſapientiam hauſiſſet, teſte Diodoro Siculo *(b)*, in Graeciam venit, atque in eam *γράμματα ϗ σοφίην*, ut habet epigramma vetus apud Fabricium *(c)*, eruditionem ſcilicet omnem importavit. Sunt qui nuſquam terrarum Orpheum exſtitiſſe credunt, unius Ariſtotelis auctoritate ducti, qui referente Cicerone *(d)* Orpheum fuiſſe negavit. At multa Veterum monumenta congeſſerunt Cudworthus *(e)* & Fabricius *(f)*, quibus Orpheus vere exſtitiſſe demonſtratur.

Or-

(a) *Bibl. Gr. Lib. I.*
(b) *Lib. IV. cap.* 25.
(c) *Loc. cit.*
(d) *Lib. I. de Nat. Deorum cap. XXXVIII.*
(e) *Syſt. Intell. Cap. IV. §. XVII.*
(f) *Loc. cit.*

Orphei disciplinam non alio e fonte haurire licet, quam e quibusdam *Carminum* laciniis, quae vulgo *Orphica* appellantur. Horum autem γνησιότης non omnibus aeque arridet. Daniel quidem Huetius (*a*) *a veteribus Christianis conficta, & ex sacrorum Codicum segminibus consuta* esse suspicatur. Grotius vero ad unos Pythagorae discipulos Orphica Poëmata referenda esse constituit. At contra quamplures Eruditi licet multa, quae tamquam Orphica a Veteribus laudantur, fraudis argui posse concedant; nonnulla tamen eodem loco, atque illa, habenda esse negant. Sunt enim aliqua, quae a Platone, Diodoro, aliisque ut Orphica laudantur, & quorum stilus se satis antiquum probat; ea quidem si Orpheum auctorem non habent, Orphica tamen dogmata complectuntur, quae ab ipso excepta alii versibus expressa litteris consignarunt.

Si igitur quae in hisce laceris carminum reliquiis continentur, in unum colligas, eam Orphei sententiam fuisse deprehendes, quod aeternum fuerit Chaos, Deus scilicet & materia simul copulata: seu omnia, quae nunc sunt, in ipso Deo fuere recondita. Certo vero tempore Deus ex se sinuque suo materiam illam produxit: atque ita effecit, ut universa, quae mundus complectitur, exsisterent. Porro ex eodem Deo una cum materia spiritus quidam fluxit, qui per totam materiam fusus eam agitet, atque hominum mentibus originem praebeat. Ita quidem Orphicum

(a) *Dem. Evang. Proposit. IV. num. XIX.*

cum systema exponit Mosh. (*a*). Quibus affinia sunt, quae de Orphico *Ovo* narrant Pythagorici, quod Mundi νοητοῦ καὶ αἰσθητοῦ sive *sub intellectum*, sive *sub sensum cadentis* commune receptaculum erat.

Plura de Orpheo proferre instituti ratio vetat. Innuere satis erit, Orpheum lunam ceterosque Planetas perinde atque hanc Terram incoli credidisse; quin unumquodque sidus mundum esse sinu suo terram aërem & caelum comprehendentem. Hanc sane sententiam in Orphicis lectam tradit Plutarchus (*b*), & ex eo Eusebius (*c*). Illustre fragmentum praeterimus, quod a quodam Timotheo chronographo Cedrenus attulit; id quidem talem Orphicam Κοσμογονίαν exhibet, quae Mosaicae non longo intervallo proxima sit. Profert hoc fragmentum, & more suo illustrat Cl. Mazochius (*d*).

II. Certarunt olim Grammatici, teste Gellio (*e*), Hesiodus ne an Homerus aetate praecesserit. At dubium non esse videtur, quin per eamdem aetatem ambo floruerint; cum carminibus eos certasse ex antiquis usque temporibus ducta traditione constet: licet certamen illud Eruditis confictum esse videatur. Paullo ante I. Olympiadem Hesiodum vixisse nonnulli ajunt: alii ad IV. Olymp. illius aetatem revocant. Cumam

(a) *Not.* 58. *ad Cap. IV.* §. *XVII. Syst. Intell.*
(b) *De Placit. Philosoph. Cap. XIII.*
(c) *Praeparat. Evang. lib. XV. Cap. XXX.*
(d) *Loc. superius cit. sect. I.*
(e) *Noct. Attic. Lib. III. cap. XI.*

mam Aeolicam hujusce poëtae patriam fuisse auctores sunt Herodotus, Strabo, aliique. Ascraei cognomen apud Graecos adeptus, quod Ascrae Boeotiae vico eductus fuit. Plura scripsit: celebratissima vero est ipsius Θεογονία, qua Deorum origines prosequitur.

Hac autem Theogonia Eruditorum judicio nihil aliud Hesiodus animo intendisse videtur, nisi ut naturae caussas & principia aperiret, quae poëtico more personae veluti habitum induit; unde factum esse iidem viri docti ajunt, ut Deorum turba apud imperitos mirifice augeretur. Et sane summa hujus poëmatis illuc revocatur: nimirum poëta Chaos, Tartarum, Amorem, ceu rerum omnium initia statuit: deinde persequitur, quemadmodum terra & nox a Chao, aether & dies ex nocte, caelum, montes, lacus ceteraeque hujus universitatis partes exstiterint.

Summa est inter Eruditos disceptatio, num Hesiodus rerum universitati ex Chao fingendae Deum praefecerit, necne. Negant Petrus Bayle, aliique. At Cudworthus (a) rerum omnium fabricationem Deo Hesiodum tribuisse tuetur. Quod quidem ostendit, tum quod per *Amorem*, a quo Mundi originem repetit Hesiodus, natura intelligatur efficiendi virtute praedita: tum vero potissimum quod Jupiter ab Hesiodo πάντων βασιλεὺς καὶ κοίρανος ἀθανάτων, *rex omnium*, *ac dominus immortalium* praedicetur. Quinam vero Hesiodum aliosque veterum *Theogoniarum* scriptores ab

(a) *Syst. Intell. Cap. IV. §. XIV. & XIX.*

ab impietatis nota liberarint, videri possunt apud Moshemium (*a*).

III. Homerum ultimo veluti nobiliori loco recensemus, cujus hîc si laudes prosequi aggrederer, in silvam ligna ferrem. Cui enim non dictus Homerus? Non idem porro judicium de Homerica praesertim Theologia ferunt Eruditi. Sunt qui nimium severi Homerum impietatis in Deum arguunt. Sunt rursus qui pro illius pietate velis equisque, ut ajunt, decertant. Quos inter nemo vehementior Cudwortho, qui (*b*) eam praestantissimi Poëtae animo sedisse sententiam ostendit, ut unum supremum aeternumque Deum esse statuerit, qui rerum universitatem effecerit, eamque moderetur.

Observat idem diligentissimus veterum Philosophorum scrutator, Deorum turbam, quibus Homeri carmina scatent, genitam ac procreatam illum putasse. Quemadmodum enim Homerus ex *Oceano*, h. e. ex Chao aquatico, sive fluitante materia rerum omnium initium arcessit, ut cum (*c*) de Oceano ait,

. . . ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Ita Deorum omnium originem ex eodem Oceano repetit, cum illum appellat Θεῶν γένεσιν (*d*).

At his omnibus Diis *Jovem* suum praefecit Homerus, quam κατ' ἐξοχὴν Θεὸν appellat; *omnium*-

(a) *Not.* 3. *ad Cap. III.* §. *XVII. Syst. Intell.*
(b) *Syst. Intell. Cap. IV.* §. *XIX.*
(c) *Ilia.* Ξ. v. 246.
(d) *Ibid.* v. 201. 302.

umque principem ac potentissimum Diis hominibusque imperare, &c. passim praedicat.

§. X.

De Graecorum Philosophia Politica.

ALtera Graecae Philosophiae aetas VIIviris florentibus obtinuit, quos *Sapientes* Graeci nuncupavere. Hujusmodi appellationis originem satis tritam, quae commentum redolet, non indicamus. Hi autem, ut eos recensent Plato & Pausanias, fuerunt *Thales*, *Pittacus*, *Bias*, *Solon*, *Cleobulus*, *Myson*, & *Chilon*. Eorum historiam ex Veteribus multi tradiderunt, quorum narrationes collegit Diogenes Laërtius in *De Vitis Philosophorum*.

Singulorum vitam, mores, & studia prosequi non vacat. Legantur Bruckerus (*a*), Deslandius (*b*), aliique.

§. XI.

De Graecae Philosophiae Sectis: Et primo de Jonica.

TErtiam Graecae Philosophiae aetatem aggredimur, per quam ad maturitatem quamdam suam pervenisse visa est. Et quoniam qui per id temporis apud Graecos fuere Philosophi, cer-

(a) *Hist. Phil. T. I. p.* 442.
(b) *Hist. Crit. de la Philos. Liv. II. chap. IX.*

certas singuli disciplinae formas prosecuti sunt; propterea varias, quas illi composuerunt sectas, ex ordine recensebimus.

Primus, qui inter Graecos Philosophicae disciplinae sectam condiderit, *Thales* ille Milesius communi Veterum consensu fuisse fertur, quem inter septem Graeciae sapientes primas habuisse diximus. Hic ex Thelidarum familia inter Phoenices clarissima Mileti in Jonia anno I. Olymp. XXXVI. natus est: defunctus vero Olymp. LVIII. anno ante Christum 546. vel 547. Propterea ab ipso profecta disciplina *Jonicae* nomen invenit.

Thaletem exceperunt *Anaximander*, quem illius *popularem* & *sodalem* vocat Cicero (*a*), natus Olymp. XLI. 3. *Anaximenes* Thaletis auditor, itidem Milesius, quem alii Olym. LV. alii LVI. alii denique LXIII. natum esse statuunt. *Anaxagoras* Clazomenius, natus Olym. LXXI. quem *agros & patrimonium suum reliquisse, ut discendi quaerendique divinae delectationi toto se animo dederet*, narrat Tullius (*b*). Tandem *Archelaus*, quem alii Milesium, alii Atheniensem esse ajunt.

Istorum porro de rerum origine non una erat sententia. Thales enim ex liquida & fluitante materia omnes omnino res comparatas esse dixit. Quod legere est apud Tullium (*c*).

Anaximander vero finxit materiam quamdam primam, eamque τὸ ἄπειρον, h. e. *infinitum* nun-

(a) *Lib. IV. Acad. cap. XXXVII.*
(b) *Lib. V. Tuscul. cap. XXXIX.*
(c) *De Nat. Deor. Lib. I. cap. X.*

cupavit, non ignem, non aquam, non terram, non aërem, sed ad haec & reliqua omnia aptam; aut ex omnibus temperatam & mixtam: atque ex ea facta esse docuit & nata omnia. Innumerabiles praeterea inde mundos oriri, eosque modo dissolvi, modo iterum gigni existimavit: ut refert Augustinus (a).

Post Anaximenes primam materiam aërem esse dixit, cujus concretiones, atque extenuationes omnia parerent.

Verum Anaxagoras, quo nemo ornatius totam de naturae exordiis rationem ex Thaletis discipulis explicuit, infinitam posuit materiae Homoeomeriam, sive partium minutarum & inter se similium infinitam congeriem. Nempe magnus hic philosophus Atomos statuit revera praeditas variis illis qualitatibus & formis, quae vulgo corporibus inesse creduntur: itaque esse atomos quasdam osseas, quasdam sanguineas, nonnullas igneas, aliquas humidas, partim albas. partim nigras, alias dulces, amaras alias: unumquodque autem corpus ex atomis homogeneis suique similibus coalescere; ossa videlicet ex pauxillis atque minutis ossibus; sanguinem ex multis sanguinis guttis inter se coëuntibus, itemque ex humidis atomis humorem, ex igneis ignem gigni. Hanc autem Atomorum seu partium minutarum similitudinem Homoeomeriam appellavit.

At enim quodlibet mixtum corpus conflatum po-

(a) *Lib. VIII. de Civ. Dei Cap. II.*

posuit Anaxagoras non ex atomis tantum uniusmodi, & quae eandem cum toto naturam habent; sed ex atomis etiam heterogeneis suique dissimilibus: concreta autem corpora definitam speciem certumque sibi nomen adsciscere ex majore illiusmodi atomorum copia, quae in iis continerentur. Sanguinem ex. gr. concrescere tum ex atomis sanguineis, tum etiam ex nerveis, osseis, carneis, aliisque universae naturae corpusculis: videri tamen & dici sanguinem, eo quod reliquis delitescentibus atomis solae sanguineae sub aspectum veniant, quippe & numero plures, & prima velut in fronte locatae. Atque hanc similium omne genus atomorum in singulis corporibus concretionem Πανσπερμίαν vocavit.

Posita hac materiae Homoeomeria sive Panspermia sequitur omnes mutationes, quae corporibus accidunt, sola atomorum antea exsistentium variisque formis & qualitatibus instructarum concretione aut secretione fieri. Proinde cum generantur aut corrumpuntur corpora, non modo substantiale aliquid, sed nullam omnino formam aut qualitatem de integro produci aut in nihilum occidere.

Heic vero abs re non erit animadvertere, quaestionem illam, quae in interpretandis explicandisque Aquae, Aëris, & Infiniti nominibus, quibus antiquiores Jonicae scholae magistri principium rerum designarunt, exagitatur, ita definiri posse: Nimirum variis ejusmodi nominibus unam & eandem rem notatam illos voluisse, idest immensam quandam ac perturbatam innumerabilium corpusculorum farraginem, Chaos vi-

delicet primigenium . Nam I. conftat barbaros phyfiologos verbis ἰσοδυνάμοισι, (*idem valentibus*) archaeon Chaos antea defcripfiffe . Jamvero decantatam hanc de Chao rerum principio doctrinam a barbaris Grajos philofophos haufiffe cum multa fuadent, tum illud in primis quod Thales & genere Phoenicius & omni barbarica eruditione a Memphiticis Sacerdotibus inftitutus fuit. 2. Anaxagoras certe principium , ex quo res quaeque efficerentur , non aliud ftatuit nifi Chaos, tametfi dilucidius & φυσικωτέρως explicatum. Atqui non novam fententiam in Thaletis fcholam attuliffe vifus eft , fed majorum fuorum mentem interpretatus & fecutus eft.

Quanquam Phyficos iftos in paucis quibufdam inter fe diffenfiffe non abnuo . Minutas enim particulas, ex quibus concreta funt corpora, alii fimiles & qualitatum expertes, alii contra diffimiles & qualitatibus ornatas pofuerunt . Nimirum prifci illi naturae fpeculatores partim ratiocinatione, partim acriori rerum contemplatione ducti, cum de fuo jam fapere inciperent, fimul coepere de majorum fententiis aliquid fenfim immutare ; donec liberiori deinde ingenio ufi eo devenerint , ut univerfa re totifque fententiis diffentiendo in varias quafi familias diftracti fint.

Jam vero quod ad Univerfi hujus efficientem cauffam fpectat, eadem inter ipfos eft diffenfio. Thaletem enim Mentem aquae adjunxiffe, quae ex ea omnia fingeret, teftis eft Tullius (*a*). Et Laër-

(a) *Loc. cit.*

Laërtius ac Plutarchus Deum ab illo dictum esse πρεσβύτατον τῶν ὄντων, *antiquissimum* sive *praestantissimum omnium rerum*, Mundum autem τὸ ποίημα τοῦ Θεοῦ, *Dei opus* memoriae tradiderunt. Quae quidem aliaque Veterum testimonia plures adduxerunt, ut de illius pietate benigne sentirent: licet ipsum criminentur Aristoteles, & Petrus Bayle (*a*).

At hac impietatis nota non caret Anaximander, qui, ut Plutar. ait, in eo peccavit, quod τὸ ποιοῦν αἴτιον, *caussam effectricem* deleverit. In quo ipsi adsensum esse Anaximenem testatur idem Plutarchus (*b*).

Quam ob rem licet Anaximander τὸ θεῖον *divinitatem* admiserit, h. e. Dei vocabulum retinuerit; rem tamen ipsam inficiatus est. Numen enim illud, quod neque natum esset, neque cor-

---

(a) *Dict. Hist. Crit. v. Anaxagoras, & v. Thales. Augustinus quoque loc. superius cit. impietatis Thaletem accusat.* Nihil huic operi, quod mundo considerato tam mirabile aspicimus ex divina mente praeposuit.

(b) *De placitis Philosoph. Et sane Diogenes Apolloniates, Anaximenis auditor, teste Tullio loc. cit. aërem ipsum esse Deum ajebat.* Quid? Aër, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei? *Consentit Augustinus, qui loc. cit. aërem veluti rerum materiam ab illo statutum esse ait:* sed eum esse compotem divinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset.

rumpi posset, quemadmodum ab illo praedicari ait, Aristoteles (*a*), infinita erat materia nec vitae nec rationis particeps, e cujus partibus fortuito secretis & dissolutis primum elementa, deinde Solis, Lunae, stellarumque corpora, simul & Mentes hominum, necnon innumerabiles mundi longis intervallis exorti atque eversi exstiterunt.

Verum Anaxagoras haud passus hanc impietatem inter Jonicae Scholae Philosophos amplius grassari, *primus omnium*, Tullii verba sunt (*b*) *rerum descriptionem & modum mentis infinitae vi ac ratione designari ac confici voluit*. Etenim praeter infinitam homoeomeriam, sive minutarum particularum inter se similium congeriem, infinitam Mentem admisit, quam *κινήσεως ἀρχήν*, *motus initium*, & *τὸ τοῦ καὶ καλῶς αἴτιον*, *pulchri recliquae caussam* esse contendebat.

Archelaum omisimus; neque enim secus consentiunt, qui ipsius scita memoriae prodiderunt. Anaxagorae, quem praeceptorem habuit, disciplinae adhaesisse tradit Simplicius (*c*). At Plutarchus bina rerum principia admisisse narrat aërem & infinitum, h. e. infinitam Mentem, ut interpretatur Simplicius.

§. XII.

(a) *Physic. Lib. III.*
(b) *Lib. I. De Nat. Deor. cap. II.*
(c) *Comm. in Lib. I. Phys. Aristot.*

§. XII.

De Socrate, & ductis ab eo Sectis.

JOnica Secta in Socrate desiit, qui Athenis natus Olymp. LXXVII. 4. h. e. anno ante Christum fere 474. Anaxagoram, & Archelaum audivit. Multiplici ratione disputandi, rerumque varietate, & ingenii magnitudine laudatur a Cicerone (*a*). Ex hoc communi sapientium jugo, veluti ex alto vertice aquarum divortia, plures Philosophorum familiae derivatae sunt. Eas omnes recensere & tempus, & taedium absterrent. De ipso pauca, tum de Sectis Platonica, Peripatetica, ac tandem Stoica nonnulla dicemus. De aliis meminisse tantum satis erit. Hae autem sunt *Cyrenaica* a Cyrenis, ubi natus ejus auctor *Aristippus*, ita nuncupata. Diem obiit Olymp. CV. Filiam habuit *Areten*, feminam eruditissimam. Cyrenaicam disciplinam secuti sunt *Hegesias*, quem sic copiose de vitae malis disputasse refert Tullius, (*b*), *ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur. illa in scholis* dice-

(a) *Lib. V. Tuscul. cap. IV. Addit Cicero Socratem primum fuisse, qui* Philosophiam devocavit e caelo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & moribus rebusque bonis & malis quaerere. *Eundem etiam impense laudat Augustinus* De Civ. Dei Lib. XIII. cap. III.

(b) *Lib. I. Tuscul. cap. XXXIV.*

dicere, *quod multi*, *his auditis*, *mortem sibi consciscerent*. Propterea πεισιθάνατος, *mortis suasor* denominatus fuit. *Anniceris*, unde Secta *Anniceria*. *Theodorus* dictus *Atheus*, quia Graecorum Theologiam despicatui habuit: & ea de caussa ipsum mortis damnatum hausto veneno periisse auctor est Amphycrates apud Laërtium. *Evemerus*, qui libros ἱερὰς ἀναγραφῆς *sacrae historiae* scripsit priscis Ecclesiae Patribus notos, nunc autem deperditos; quorum argumentum exponit Tullius [a]. *Bion* denique Boristhenites, Theodori auditor.

Megarica ab *Euclide* Megarensi invecta, qui acri ingenio praeditus tanta contentionis vehementia disceptabat, ut ipsius schola non σχολὴ, sed χολὴ, *bilis* diceretur: & Secta ab ipso instituta ἐριστικὴ, h. e. *contentiosae* nomen sibi quaesierit. Euclidi successerunt *Eubulides* Milesius, sophismatum inventione celeberrimus: *Alexinus* Eliensis, rixarum studiosissimus, propterea Ἐλεγξῖνος, *contradictorius* denominatus; *Euphantus* Olynthius, Antigoni Regis praeceptor. *Apollonius Cronus* Cyrenaeus: *Diodorus* & ipse *Cronus* dictus, quippe illius discipulus, ex Jaso Cariae urbe, quem *valentem dialecticum* appellat Tullius [b]: & *Stilpo* Megarensis, *acutus sane homo & probatus temporibus illis* Tullii judicio [c].

Eliaca Phaedonem Eliensem auctorem habuit, qui Socratem ipsum audivit, ejusque vestigiis insti-

[a] *Lib. I. de Nat. Deor. cap. XLII.*
[b] *De Fato cap. VI.*
[c] *Ibid. cap. V.*

ſtitit. Huic ex Laërtio *Pliſtanus* ſucceſſit; quem excepit *Menedemus*: cumque Eretriae, quae ipſi patria erat, docere coepiſſet, ipſius auditores *Eretriaci* appellati fuere. Succeſſorem habuit *Aſclepiadem* Phliaſium.

Cynica ab *Antiſthene* Athenienſi profecta, cui Cynoſarge gymnaſium, ubi is docebat, vel canina mordendi licentia, qua ipſe, ejuſque aſſeclae utebantur, hujuſmodi nomen comparavit. Hanc ſectam ſeverioris potius vitae rationi, quam Scholae deſtinatam eſſe obſervat Brucher. [a]. Cynicorum mores paucis complectitur Laërtius (b). *Sobriis cibariis utuntur, & ſolis palliis. Divitias, gloriam, nobilitatemque contemnunt. Plerique etiam herbis, & aqua tantum frigida utuntur, operimentiſque forte oblatis, & doliis.*

Cynicae familiae addicti fuerunt *Diogenes* Sinopenſis, quem ab Alexandro M. monitum, ut aliquid peteret, hoc unum rogaſſe, ut a ſole abeſſet, narrant Plutarchus, aliique. *Monimus* Syracuſanus, *Crates* Thebanus, ejuſque uxor *Hipparchia*, atque hujus frater *Metrocles*, aliique.

Age nunc ad Socratem accedamus. Is quidem eam de Mundi origine habebat ſententiam, ut ſummum maximumque Deum illum condidiſſe, atque adminiſtrare perſuaſum habuerit. Satis id teſtatur ipſius cum Ariſtodemo colloquium, cui id perſuadere ſtudet apud Xenophontem (c). Qui-

(a) *Tom. I. pag.* 865.
(b) *Lib. VI. ſub finem.*
(c) *Lib. I. Memorab. dictor. Socrat.*

Quibus consona sunt, quae memorat Plato, cum tria rerum principia adfirmet a Socrate esse excogitata, Deum scilicet, Materiam, atque Ideam (a). Ceterorum vero Deorum turbam, quos Graecia venerabatur, licet colere haud renuebat, poëtarum tamen de iis narratiunculas & fabulas ita palam contemnebat, ut hanc ob caussam ab Anyto, Melito, & Licone, quod Deos novos introduceret, postulatus, veneno ab Atheniensibus sublatus fuerit. *Sed eum postea*, verba sunt Augustini (b), *illa ipsa, quae publice damnaverat, Atheniensium civitas publice luxit, in duos accusatores ejus usque adeo populi indignatione conversa, ut unus eorum oppressus vi multitudinis interiret, exilio autem voluntario atque perpetuo poenam similem alter evaderet*. Aeream Socrati statuam artifice Lysippo, urbis loco celeberrimo erectam tradit Laërtius.

Ex mundi totius anima nostros animos decerptos esse opinatum fuisse Socratem passim tradit Plato. Nihil vero minus certum est, quam hoc. Illud tamen constat, quod animae praestantiam impense collaudaverit, eamque a Diis nobis datam esse docuerit. Quin etiam soluto corpore animam haud interire ita certum habebat, ut *cum pene in manu mortiferum illud teneret poculum locutus ita sit, ut non ad mortem trudi, verum in caelum videretur ascendere*. Ita Tullius (c): ubi etiam adnectit, quae de duplici ani-

(a) *Plat. in Phaed. & Timaeo.*
(b) *Lib. VIII. de Civ. Dei cap. III.*
(c) *Lib. I. Tuscul. cap. XXIX.*

animorum curſu e corpore excedentium Socrates differuit.

De Genio Socratis aliquid addere ſupervacaneum duximus, quippe cum tam atra nocte premantur quaecumque in medium de hac re produci poſſent, ut vel inde a Socratis ipſius, & Platonis temporibus diſceptaretur, quis fuerit ille ſive Genius ſive Deus. Legantur, ſi lubet, Proclus in Alcibiadem, Apulejus de Deo Socratis, Plotinus, Jamblichus, Porphyrius, & in primis Olearius de Genio Socratis.

§. XIII.

De Secta Platonica.

OMnes Socratis auditores ingenii gloria *Platonem* ſuperaſſe unanimi conſenſione Veteres tradunt. Is natus eſt Athenis Olymp. LXXXVII. 3. ante Chriſtum 430. & poſtquam per adoleſcentiam picturae, & poëticae arti operam dediſſet, Philoſophiae ſtudio inflammatus Socrati ſe inſtituendum tradidit: quo morte ſublato Dialecticam Euclide praeceptore didicit. Tum diſcendi ſemper cupidus litterarium iter aggreſſus eſt, quod ab Apulejo (a) deſcriptum habemus. Hic enim ait Platonem *primum ad Pythagorae diſciplinam ſe contuliſſe, tum ad Theodorum Cyrenas, ut Geometriam diſceret, eſſe profectum: deinde aſtrologiam aduſque Aegyptum iviſſe petitum; & ad Italiam iterum veniſſe, & Pythago-*

(a) *De Dogm. Plat.*

goreos fuisse sectatum . Confecto itinere in patriam rediit , atque in Academia , quam proprio aere emptam publico gymnasio destinarat Hecademus, Philosophiam docere coepit . Ipsius Schola foribus suspensum habebat προγραμμα illud : Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω , *Nemini Geometriae experti ingredi fas esto* .

Platonem igitur docentem audiamus . Is quidem in Timaeo , ubi maxime dogmata sua de rebus naturalibus exposuit, Mundum certo tempore a Deo conditum fuisse statuit . Num vero Mundum ex iis, quae non erant , Deum fabricatum esse docuerit , an vero materiam aeternam, Deoque coaevam opinatus sit, acri disputatione agitatur [a] . Seneca Platonicam de initiis rerum doctrinam ita paucis complexus est : *Quinque caussae sunt , ut Plato ait , ex quibus omnia fiant : id ex quo , id a quo, id quo, id ad quod , id propter quod . . . . . Tanquam in statua id ex quo , aes est : id a quo , artifex est ; id quo, forma est, quae aptatur illi : id ad quod, exemplar est, quod imitatur is, qui facit : id propter quod, facientis propositum est . Haec omnia Mundus quoque habet . Faciens hic Deus est : ex quo fit, haec materia est ; forma, hic est habitus , & ordo Mundi quem videmus : Exemplar , scilicet ad quod Deus hanc magnitu*-*di*-

[a] *Nec mirum ; omnium enim hujus Philosophi dialogorum Hieronymi sententia Timaeus est obscurissimus*. Lib. II. Comm. in Amos: obscurissimus Platonis liber , qui ne Ciceronis quidem aureo ore sit clarior.

dinem operis pulcherrimi fecit. Propositum, propter quod fecit, Bonitas est. Haec Seneca [a].

Quod si Plutarcho fidem adhibere velimus, hic Platonis sequi sententiam se malle ait, qui Mundum a Deo factum, sed οὐσίαν, καὶ ὕλην ἐξ ἧς γέγονεν οὐ γενομένην, ἀλλὰ ὑποκειμένην ἀεὶ τῷ δημιουργῷ κ. τ. λ. *substantiam & materiam, ex qua factus est mundus, non factam, sed semper opifici subjectam esse* existimavit. Iisdem ferme verbis veterum Platonicorum, seu Academicorum, qui *primi* vocantur, opinionem exponit Tullius [*b*].

Hic idem Plutarchus [*c*] duas naturas, alteram bonorum omnium caussam, alteram mali omnibus fontem se professum esse, neque aliter antiquioribus Philosophis, Platoni praesertim, visum fuisse asseverare videtur. Num ita senserit Plutarchus, ambigitur. De Platone tamen constat, ipsum in Timaeo statuisse, Mundi animam ex *Eodem* & *Diverso* conflatam esse, h. e. ex divinae naturae portione, & ex re quadam alia distincta a Deo, & cum materia sociata: hanc scilicet nonnulli suspicantur esse naturam illam malorum caussam.

Verum alia omnino fuit mens Platonis, uti ex ejus scriptis Cudworthus, Moshemius, aliique investigant. Censuit enim materiae conditionem, quae Dei optima quaevis cupientis voluntati restiterit, multa produxisse, quae hunc orbem circumstant incommoda. Nam deformem &

[a] *Epist. 65.*
[b] *Lib. I. Acad: cap. VI.*
[c] *Lib. de Iside & Osir.*

& inordinatam eam fuisse, antequam praesenti ornatu decoraretur, ait in *Politico*.

Mala vero illa, quae moralia appellantur, itemque physica, quae ad hominis corpus pertinent, ad animam retulit Plato. Cum enim ipse binas, sive tres potius in homine finxerit animas, rationis unam participem, alteram sive reliquas ratione vacuas, & concitationibus inordinatis obnoxias: illam, quam Deus ex se produxit, nihil in se mali & vitiosi habere; hanc vero sive unam, sive plures, ubi irae, desiderii, & cupidinum caussae latent, omnium malorum originem esse voluit. Haec copiose in Timaeo exponuntur.

Haec autem anima, cujus ex Cicerone (a) *duas partes in homine locis disclusit, atque unam in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit*, ex inordinata quadam mundi anima, quam ἄτακτον καὶ κακοποιὸν, *inordinatam, & maleficam* appellat, hausta esse sancitur a Platone.

Sed jam πολυβοήτον hoc gravissimi ejusdem philosophi dogma de anima Mundi breviter exponamus. Missis junioribus Platonicis, quos absurdis novarum opinionum commentis doctrinam Magistri adulterasse constat, ipsummet Platonem audiamus, hac de re tum alibi tum maxime in Timaeo sic loquentem.

I. Esse naturam quandam, quae per omnes terrasque tractusque maris, caelumque profundum commeans omnia motibus suis cieat, formet, alat, animetque. Naturam hanc Ψυχὴν Psy-

(a) *Lib. I. Tuscul. cap. X.*

Psychen i. e. Animam vocat, ob eamque rem mundum esse ait ζῶον ἔμψυχον, ἐννοῦντε, idest ut Cicero interpretatur, *Animal idque intelligens*.

2. Hanc animam a summo rerum omnium demiurgo procreatam esse, antequam ejus corpus idest Mundus fingeretur.

3. Eandemque ex tribus naturis coaluisse, una individua, altera dividua, tertia inter has media, ex iisque duabus conflata. Jam quales sint naturae istae, ex quarum artificiosa temperatione Mundi Psyche coaluit, incertum. Platonici quidam hoc Magistri scitum de anima ex individua & ex dividua natura ita interpretantur, ut velint individuâ naturâ Divinam essentiam significari; naturâ vero dividuâ comprehendi initia & elementa omnium rerum.

4. Haeret autem Plato, idque in medio relinquit, utrum una sit anima isthaec διοίκουσα καὶ ἐνοίκουσα ἐν πᾶσι τοῖς κινουμένοις, *quae gubernat omnia & in omnibus quae moventur inhabitat*; an vero sint plures.

5. Verum cum ista mundi anima, seu rerum genitrice natura minime confundendus est ille princeps Deus, hujus universitatis effector & moderator. Nimirum enim Plato animam, cujus motibus omnem naturam vigere autumat, & ab supremo Numine procreatam, & ejus voluntati obsequentem, & denique ἐγκόσμιον, idest in mundum immersam statuit. Contra Deum Mundi demiurgum idem Plato pronunciat ex omni aeternitate exstitisse; nec esse ulli naturae subjectum aut obedientem; eundemque non caelo, nec terra, nec ullo denique loco compre-

hen-

hendi ; tametsi illius numen caelum & terram pervadat.

Et quoniam de hominum animis Platonis sententiam innuimus, advertere juvat ita ipsum philosophatum esse, ut 1. ab omni extensione & concretione disjunctos existimaverit, uti contendit Cudworthus, licet renuente Moshemio. Hujus enim sententia ab hac crassa, qua corpora componuntur, materia humanas Mentes sejunxit Plato; at eas subtilissimae cujusdam materiae participes fecit. Ceterum Platonis, aliorumque Veterum hac in re sententiam facile erit definire, si probe noscatur, quo pacto voces *corpus*, *materia*, *corporeus*, *simplex*, *incorporeus*, quibus non unus subjici sensus potest, Veteres usurpaverint. Quod quidem in Metaphysicis Institutionibus, cum humanae Menti simplicitatem vindicabimus, persequi cogitamus.

2. Animos censebat Plato praeter terrenum corpus, cui copulantur, alio aetherio indutos esse, quod in Schola Platonica ὄχημα, sive animae *vehiculum* appellari consuevit. Quin & addunt quidam hujus Scholae alumni, hoc vehiculo veluti quodam vinculo animum cum mortali corpore connecti : atque hujusmodi corpus ab animo nullo modo sejungi posse, sed ad infinitum tempus illam perpetuo comitari.

3. Animos in varia migrare corpora Platonem docuisse, eosque pro varia morum ratione meliori, aut deteriori domicilio addixisse fere omnes in compertis habent. Verum Gulielmus Irhovius, quem supra laudavimus, aliam omnino fuisse Philosophorum Principis mentem pluri-

ribus ostendit, ex iis potissimum, quae de animorum facto cum corpore divortio varia conditione ille tradidit, ut mox inuemus (*a*).

4. Quod animos perennes esse Plato existimaverit vel illud argumento est, quod de ipsorum conditione statuit, postquam a corporum amplexibus divulsi fuerint. Eos enim, qui pie vixerint, pureque decesserint, ex his terrenis locis tamquam e carcere solutos ad altiora transcendere, puramque supra terram incolere regionem; quique Philosophiae studio flagraverint, absque corporibus (aetheriis scilicet, quae modo memoravimus) pulchriores nancisci habitationes differit (*b*). Quam sedem piorum animis addictam in Caeli dorso sitam docet, locumque supercaelestem appellat: eamque, ait, ***neque quisquam nostrorum laudavit adhuc Poëtarum, neque unquam pro dignitate laudabit*** (*c*). Tum perennem ibi vitam acturos animos, nunquam interitum subituros tradit [*d*]. Qui vero scelera & flagitia admiserint, vario poenarum genere, aut aliquandiu, si ἰάσιμα *sanabilia* peccata fuerint, aut si ob scelerum gravitatem *insanabiles* fuerint, aeternum eos excruciari affirmat (*e*).

Platonem nondum dimittere possumus: de ipsius Ideis nonnihil dicendum superest. Postquam in Timaeo Dei consilium de Mundo condendo

Tom. I. F Pla-

(a) *De Palingen. vet. Lib. II. Cap. IX.*
(b) *In Phaedone p.* 386. 400.
(c) *In Phaedro.*
(d) *In Apologia sub fin.*
(e) *De Leg. Dial. X. & in Phaedone.*

Plato exposuit, fieri nullo modo posse decernit, quin Deus exemplum quoddam quasi ob oculos habuerit, cujus ad normam universam hanc rerum compagem compararet. Hoc autem, quod tanti operis fabricator imitatus est exemplar, νοητὸν *intelligibilem* mundum appellat, quod *ratione sapientiaque comprehenditur, atque immutabili aeternitate continetur*, ut loquitur Cicero [a].

Illa igitur rerum exempla, quas Ideas dixit, quae divinae obversabantur menti, modo *τὰ μὴ γιγνόμενα, ἀλλ' ἀεὶ ὄντα, non esse genita, sed perpetuo manere*, modo *μήτε γιγνόμενα, μήτε ἀπολύμενα, quae nec generari, nec corrumpi possunt*, passim a Platone appellantur.

Hic porro cum Veteres tum Recentiores vehementer inter se diffident, utrum hujusmodi Platonicae ideae naturae sint ex divina intelligentia creatae, & extra eam exsistentes, an vero *νοήματα notiones* tantum animi divini. Posteriorem amplectuntur Cudworthus & Moshemius, quos vide [b].

Platonicae familiae alumni in tres classes distinguuntur. Quidam enim fidi praeceptoris asseclae Academiam, quam vocant *veterem*, constituerunt. Hi porro sunt *Speusippus* Atheniensis, Platonis sororis filius, qui cum per octo annos Academiae praefectus fuisset, eam Olymp. CX. 2. denatus *Xenocrati* Chalcedonio regendam tradidit, quem Cicero *gravissimum, & severissimum*

mum

[a] *In Fragmento de Univ.*
[b] *Syst. Int. Cap. IV. §. XXXI.*

mum Philosophorum appellat [*a*]. Obiit autem Olymp. CXVI. 2. vel 3. Post Xenocratem Academiae praefuit *Polemo* Atheniensis, quem audierunt *Crates*, & *Crantor*, quorum alter Athenis, alter Solis ortum habuit.

Verum alii licet a Platone non desciverint, diversam tamen philosophandi rationem iniere, quibus facem praetulit *Arcesilas* sive *Arcesilaus* Pithanaeus ex Aeolide natus Olymp. CXVI. 1. Is quidem, ut ait Tullius [*b*], *omnia latere censebat in occulto: neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi possit: quibus de caussis nihil oportere, neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assertione approbare*. Igitur *Mediae*, ut Veteres nominarunt, Academiae auctor fuit, *quae*, ut idem Tullius [*c*], *usque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arcesila fuit, in eadem Arcesilae ratione permansit*. Arcesilam inter & Carneadem fuere *Lacydes* Cyrenaeus, *Evander* Phocensis, & *Egesinus* Pergamenus, qui apud Clementem Alexandrinum [*d*] *Hegesilaus* audit.

Carneades igitur, cujus natalis dies ad Olymp. CXLI. 3. revocatur a plerisque Eruditis, ab Arcesilae doctrina aliquantulum discessit; quamvis enim in rebus ipsis veritatem agnovit: at eam ab homine cognosci posse negavit. Duo igitur sunt, quae Arcesilae disciplinam a Carneadis

[a] *Lib. V. Tuscul. cap. XVIII. & Lib. I. Offic. cap. XXX.*

[b] *Lib. I. Acad. cap. XII.*

[c] *Loc. cit.*

[d] *Strom. Lib. I.*

placitis discriminant. Ille quidem nullam in rebus ipsis inesse veritatem perhibebat: is contra quamvis verum aliquid aut falsum esse fateretur, at verum a falso discerni posse negabat. Deinde cum Carneades assensum duntaxat sustinendum duceret, probabile autem aliquid esse, aut contra non negaret: nihil horum Arcesilas admittebat. Ita sane Gerardus Joannes Vossius mediae ac tertiae Academiae disciplinam definit (*a*). Carneadem excepit *Clitomachus* Carthaginensis, quem *hominem acutum*, & *valde studiosum ac diligentem* vocat Tullius (*b*). Hujus discipulus fuit *Philo* Larissaeus, quem anno ab U. C. *665*. bello Mithridatico profugum Romae audivit Tullius. Proxime secutus est *Antiochus* Ascalonita, quem etiam Athenis se audiisse testatur Tullius (*c*).

§. XIV.

De Secta Peripatetica.

EX veteri Platonis Academia prodiit Aristoteles Stagirae Macedoniae oppido natus Olymp. XCIX. ante Christum 384. qui postquam 20. annos Platonem audiisset, & Alexandrum Macedonem pet quinquennium instituisset, Athenis in Lyceo deambulando docere coepit; unde *Peripateticus*, a verbo Graeco *περιπατεῖν deambulare* dictus est. Porro Aristoteles cum e vita ex-

(a) *De Philosoph. Sect. Cap. XII.* §. *XXIII.*
(b) *Loc. cit.*
(c) *In Bruto cap. XCI.*

excessisset Olymp. CXIV. 3. suae disciplinae veluti heredes instituit *Theophrastum* Eresium, cui Scholae cura demandata est, & qui bis mille auditores habuisse fertur: *Stratonem* Lampsacenum, vulgo *Physicum* appellatum, cujus impia de rerum origine dogmata in Metaphysicis exponenda refutabimus: *Lyconem* Troadensem, qui Olymp. CXXVII. Strabonem excepit: *Aristonem* Cejum; *Critolaum* Phaselidem, & *Diodorum* incertae patriae, qui ultimus est in successione Peripatetica.

Jam vero, ut Aristotelis doctrinam prosequamur, is quidem primo pertinacissime pro Mundi aeternitate pugnavit. *Neque enim*, ut ait Tullius [a] *ortum esse unquam mundum* adserebat, *quod nulla fuerit novo consilio inito tam praeclari operis inceptio, & ita eum esse undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere, ut hic ornatus unquam dilapsus occidat.*

Ceterum rerum naturalium principia contendebat oportere esse prima, & quodammodo inter se contraria; adeoque neque ex se invicem, neque ex alio fieri; at ex iis fieri omnia. Hinc tria omnino statuebat rerum principia ὕλην, εἶδος, καὶ στέρησιν, *materiam*, *formam*, & *privationem*. Quorum duo inter se opposita, & contraria sunt, scil. Forma, ejusque privatio: Materia vero privationis, ac Formae est commune subjectum, easque per vices excipit.

[a] *Lib. IV. Acad. cap. XXXVIII.*

Praeterea Platonicae Mundi animae amicus fuisse videtur Cudwortho, quod & ante ipsum recentiores Platonici adseruerunt, ut omnem inter illum ac Platonem discordiam conciliarent. Peripatetici ab ea abhorruisse Magistrum acriter pugnant. Est tamen in ipsius operibus, quod Platonis mundanae animae affine videtur. Passim enim memorat θερμότητα ψυχικὴν, *vitalem* quemdam *calorem* per totam rerum naturam diffusum, qui neque ignis sit, neque aliud hujusmodi.

De ipsius pietate in Deum, graves sunt doctissimorum Virorum controversiae. Veritati propius accedere videntur, qui Aristotelem verbo haud Deum inficiatum esse, sed reapse e medio sustulisse, aut quamdam potius Dei umbram & simulacrum exhibuisse arbitrantur.

Primo enim ipsius Deus nihil libertatis habet, cum ex necessitate quadam naturae rerum universitatem produxerit. Praeterea divinae Providentiae metam in Orbe Lunari constituit; quippe negat quae infra Lunam sunt & fiunt, ad eam pertinere. Tandem, ut cetera taceam, otiosus prorsus est Aristotelis Deus, neque quidquam agit, sed cessat; atque in hac quiete ejus beatitas praecipue posita est. Hujusmodi argumenta collegit Jo. Georgius Walchius *(a)*.

Nec leviora sunt certamina de Aristotelis opinione, quod ad animorum perennitatem spectat. Ipse quidem animum in duas partes dispescit, quarum una sit sentiens, quaeque sine corpore esse non possit; altera intelligens, quam νοῦν appel-

(a) *Exercit. de Atheism. Aristot.*

pellat, atque extrinsecus homini advenire, & divinam esse ait: eamque ex natura illa per totum orbem fusa delibatam esse statuit (*a*).

§. XV.

De Secta Stoica.

Stoici naturam, inquit Lactantius (*b*), *dividunt in duas partes, unam quae efficiat, alteram quae se ad faciendum tractabilem praestet. In illa prima esse vim faciendi, in hac materiam, nec alterum sine altero esse posse. Ita isti uno Naturae nomine res diversissimas comprehenderunt, Deum & Mundum, artificem & opus, tanquam Natura sit Deus Mundo permixtus*. Concinit Seneca (*c*): *Quid est Natura, quam Deus & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta?*

Deum autem hunc πνεῦμα ἔνθερμον, *igneum Spiritum* esse, seu in ignea hujus orbis materia residere ipsi autumabant. Plutarchus enim & Tullius Zenonis Deum ignem artificiosum esse testantur, qui nimirum omnia creaverit, & progenuerit.

Porro Mundi ortus, Zenonis & Stoicorum judicio, sic habuit. Ab initio cum Deus apud semetipsum esset, τὴν πᾶσαν ὀυσίαν omnem substantiam vertit primo in aërem, deinde in aquam,

 h. e.

(a) *Lib. II. de generat. animal.*
(b) *Divinar. Institut. Lib. VII. cap. 3.*
(c) *Lib. IV. de Benefic. cap. II.*

h. e. in materiam quandam, quae aquosae nubis speciem haberet. Tum per humidam hanc atque inertem materiam discurrens is, qui mundi Λόγος σπερμάτικος *Ratio seminalis* est, semen in ea deposuit h. e. vitalem illi & salutarem calorem impertiit. Quo quidem animata materia, & vim genitalem adepta ad deinceps procreanda opera aptam facilemque se praebuit.

Ex istiusmodi porro artificiose discreta materia quatuor orta sunt Elementa, videlicet Ignis, Aër, & Terra. Ex Elementis minora ac multiformia corpora coaluerunt. Hinc Elementum definitur, Id ex quo primo fiunt, quae fiunt, & in quod extremum resolvuntur.

Elementorum quaedam levia sunt, quaedam gravia. Levia sunt Ignis & Aër. Gravia Aqua & Terra. Leve est quod a medio recedit. Grave quod ad medium accedit. Hinc Ignis sive Aether supremam mundi regionem occupat, ubi Stellae inerrantes; quas inter eminet Sol mundanae animae Mens, sive τὸ ἡγεμονικὸν. Aetheri succedit Aër. Huic Aqua subjicitur. Mundi medium tenet Terra omnium basis ac fundamentum.

Omnium Elementorum alterni recursus sunt. Et quidquid perit alteri perit, in alterum transit, mirabili naturae providentia, quae partes suas velut in ponderibus examinat, ne portionum aequitate turbata Mundus praeponderet.

Mundum, ex lege Fatorum, duplex manet interitus primus ab Aqua, alter ab Igne.

Nam 1. turbatâ Elementorum ἰσονομίᾳ *aequilibritate*, plus humoris fiet, quam semper fuit. Itaque Aqua in succumbentem terram undique irrum-

irrumpens, quidquid habitatur obducet, necabitque omne animal, orbe submerso. Deletisque omnibus ne quis superſit ad deteriora magister, antiquus ordo revocabitur.

2. Post Cataclysmum sequetur ἐκπύρωσις, *Conflagratio*. Nimirum cum fatale tempus advenerit, quo se renovaturus Mundus extinguat, humore consumpto omnique exardescente materia effeta tellus & caeli regia uno igne conflagrabunt. Post conflagrationem nihil relinquetur praeter unum summum Jovem, qui scilicet purior ille ignis est, ex quo rursum mundi renovatio fiet, idemque ornatus exorietur. Hujusmodi autem eluvionum atque exustionum & per vices insequentium renovationum, quas Mundo accidere post certas annorum periodos necesse est, series sempiterna a Stoicis statuitur.

Animos ex illo sempiterno igne descendere, ejusque partes esse Stoicos sensisse & Tullius & Seneca testantur: qui addit: *Totum hoc, quo continemur, & unum est, & Deus est, & socii ejus sumus & membra*.

De animorum immortalitate nihil certi apud ipsos erat. Seneca quidem modo ait, modo negat, modo dubitat. Nonnulli diu mansuros ajunt animos, at aeternos esse negant. Vide Tullium (a). Neque id controversum non erat. Cleanthem enim omnes, Chrysippum verum solos Sapientum animos permanere usque ad mundi conflagrationem, docuisse refert Laërtius.

Stoicorum, ut ita dicam, familiam duxit *Zeno*

(a) *Lib. I. Tuscul.*

no Cittieus ; e Cittio enim Cypri oppidulo ortus est : quod cum olim Phoenices incoluerint, hinc illum (*a*) *Poenulum* vocat Tullius . Sub Olymp. CV. in lucem ipsum editum esse inde colligere possumus , quod octo & nonaginta annos natum obiisse illum plerique tradunt, & ad Olymp. CXXIX. illius mortem statuit Eusebius.

Zenonis asseclae , ut celebriores duntaxat nominemus, fuerunt *Cleanthes* , joco *Φρεάντλης* dictus, quod *puteos* noctu *exhauriret ; Chrysippus* Solensis adeo Dialecticae studiosus , ut , teste Diogene, de re Logica undecim & trecenta volumina reliquerit; *Diogenes* Babylonius, qui Romam Atheniensium legatus venit , *Panaetius* Rhodius, ac tandem *Posidonius* Apameae in Syria natus , quem Rhodi docentem Pompejus invisit, & Tullius audivit, ut ipse ait (*b*).

§. XVI.

De Secta Italica.

PYthagoras , quem alii Samium , alii Thuscum , alii alibi ortum habuisse narrant , postquam Aegyptum lustravit, & Persarum Magos adiit, &, si fides adjungenda Hermippo apud Josephum (*c*) , cum Hebraeis congressus est, in Ita-

(a) *Lib. IV. de Fin.*

(b) *I. De Nat. Deor. cap. III.*

(c) *Lib. contr. Appion. Adde Origenem , qui* lib. 1. contr. Cels. *eumdem Hermippum laudans ex Judaeis Philosophiam Pythagoram didicisse ait.*

Italiam venit, ut ait Tullius (*a*), & quidem in magnam Graeciam, quam privatim & publice praestantissimis institutis & artibus exornavit. Eumdem Crotonae, celeberrima olim Bruttiorum urbe in ora maris Jonii, ludum aperuisse refert Laërtius (*b*).

Atque hinc est, quod Secta, quam hic Pythagoras instituit, *Italicae* nomen sibi vindicavit. Croton enim, unde illa exsiluit, inter urbes illius peninsulae, quae tunc *Italiae* nomen sibi peculiare fecerat, eminebat. Ita immortalis memoriae Mazochius noster, quem semel atque iterum laudavimus, sed nunquam pro ingentibus viri meritis (*c*).

De ipsius aetate non satis inter Eruditos convenit. Henricus Dodwellus (*d*) ad annum IV. Olymp. LII. Guilielmus vero LLoydius (*e*) ad annum III. Olymp. XLVIII. natalem Pythagorae diem revocant.

Hic primus *Philosophi*, h. e. Sapientiae studiosi nomen adscivit; quippe *Sophi* sive Sapientis nomen, quo ad illud temporis alii usi fuerant, uni Deo convenire adserebat.

Qui vero Pythagoram ad Philosophiam instituerit, *Pherecydes* fuisse fertur, qui e Syro, una ex Cycladibus insula, circa Olymp. XLV. ortus est. Porro Philosophus hic, quem summam in scri-

(a) *Tuscul. Lib. V. cap. IV.*
(b) *Lib. VIII.*
(c) *Comm. in Tabul. Heracl. p. 59.*
(d) *Differt. de aetate Phalar. & Pythag.*
(e) *De Chronol. Pythag.*

ſcriptis ſuis obſcuritatem affectaſſe teſtatur Clemens Alexandrinus (*a*), Deo aeternam adjunxiſſe materiam videtur Moshemio (*b*). Nam teſte Laërtio ita ille unum ex libris ſuis exorditur : Ζεὺς μὲν καὶ χρόνος εἷς ἀεὶ καὶ χθὼν ἦν , *Jupiter quidem & Tempus idem ſemper ac Tellus erat* . Sive, ut legendum putat Caſaubonus (*c*): Ζεὺς μὲν καὶ Κρόνος ἀεὶ καὶ χθὼν ἦν . *Jupiter quidem & Saturnus ſemper & Tellus erat* . Tum addit , *Terrae nomen fuiſſe Telluri* , *poſtquam ipſi Jupiter praemium dedit* . Quibus ſane ſignificat Deum indigeſtam illam , quae ab aeterno fuit , molem temperaſſe , eamque Tellurem vocatam, poſtquam novam, moderante Deo , formam induit . Praeterea Pherecydem *primum dixiſſe animos hominum eſſe ſempiternos* auctor eſt Tullius (*d*).

Hoc quidem praeceptore uſus eſt Pythagoras: cujus de rerum origine dogmata per ſummam veterum Scriptorum inconſtantiam vix hodie licet decernere. Ad duo principia rerum naturam ipſe revocaſſe dicitur *Monada* , & *Dyada* , & utrumque originis expers , atque aeternum credidiſſe. Porro ſi Philoni Judaeo, Diogeni Laërtio, Plutarcho, aliiſque fidem adjungamus, Monas Pythagorae Deus eſt ; Dyas vero materia , ex qua Deus mundum conſtruxit.

Verum ſi alios audiamus, Hermiam ſcilicet , Ni-

(a) *Strom. Lib. V.*
(b) *Not. 9. ad Cap. IV. §. XX. Syſt. Intell.*
(c) *In Notis ad Laërt. p. 28. Edit. Steph.* 1594.
(d) *Lib. I. Tuſcul. cap. XVI.*

Nicomachum apud Photium, aliosque; id, quod Monada Pythagoras nuncupavit, non esse nisi informem materiam censeamus oportet, ex qua varie temperata quatuor rerum elementa, & reliqua corpora nata sint. Praeterea quod Tullius (a) Pythagoram censuisse ait, Deum esse animum per rerum naturam omnem intentum & commeantem, haud obscure innuere videtur, illius Deum a materia minime sejunctum fuisse.

Ceterum hunc Philosophum unum summumque Numen agnovisse, ex quo veluti fonte ceteri Dii orti sunt, quodve universitatis hujus conditor est & parens, ostendunt *Aurea Carmina*; quae quemcumque auctorem habeant, antiquissima certe sunt. His consentiunt Hierocles, Jamblichus, & Cyrillus Alexandrinus.

Illud παρεργῶς animadvertatur, locutiones Pythagorae e numeris desumtas, (quibus ipse utpote Geometriae & artium mathematicarum studiosissimus utebatur) ita Veteres nonnullos accepisse, quasi e numeris, & mathematicorum initiis omnia proficisci voluerit; in qua sententia fuisse videtur Tullius (b). Multorum Virorum diuturni de hac re labores, nil, nisi incertas conjecturas, nobis reliquerunt. Quidni? Ipsi Pythagorae Auditores, qui usque ad ravim Αὐτὸς ἔφα nobis occinunt, mirum quantum inter se dissentiunt; cum alii ad res metaphysicas, alii ad morales, alii ad nescio quae alia numeros traxerint; adeo quidem, ut hisce dissensioni-

(a) *Lib. I. De Nat. Deor. cap. II.*

(b) *Lib. IV. Acad. cap. XXXVII.*

nibus ignorantiam suam vel inviti prodiderint.

Hominum animos ex Dei animo carptos & delibatos Pythagorae opinionem fuisse tradit Tullius. At Diogenes Laërtius animam esse *ἀπόσπασμα αἰθέρος ex aethere avulsam* docuisse illum ait. Eos praeterea immortales esse, & per nova semper vagari corpora sensit. Ipse quidem professus est animam suam fuisse olim in Aethalide Mercurii filio, in Euphorbo, Hermotimo, aliisque. Verum de *μετεμψυχώσει*, seu *Transanimatione*, quae vulgo *Pythagoricae* denominationem sortita est, legendus omnino saepe laudatus Irhovius, qui & fuse & docte tum omnes veteres Philosophos, tum potissimum Pythagoram ab hujusmodi inepta sententia vindicat.

Is enim probat 1. Pythagoram pro Veterum more dogmata sua symbolicis, & aenigmaticis locutionibus obtexisse: ut nisi symbolice ea exponantur, risu potius sint excipienda, quaecunque sapientissimus ille Philosophus dictitarit. 2. *Μετεμψύχωσιν* hujusmodi, quam ipse *crassam* appellat, quamplurimos ex antiquis Pythagorae minime affinxisse. 3. Dogma illud profectum esse a pervetusta, & vulgo in prisca Philosophia recepta sententia, quae triplicem humanae Mentis statum spectabat; primum cum nondum corpori addiceretur; alterum cum jam vinculis corporeis obstringeretur; tertium, cum e corpore erumperet. Initio Mentes simplices omnino a Deo creatas in stellas fixas fuisse transmissas hujusmodi ferebat opinio. Cum vero a recta veritatis norma illae aberrassent, in Tellurem, mortalium sedem, fuisse detrusas. Sed priusquam huc per-

ve-

veniant, ſeptem Planetarum orbes permeare. In his cum aliquando immorentur quodam aërio corpore, quod *ὄχημα*, *vehiculum* vulgo appellatum fuit, circumfundi, cui ſane *vehiculo* quiſque ſuas affectiones imprimit Planeta, nimirum torporem Saturnus, Mars iracundiam, libidinem Venus, Mercurius lucri cupiditatem, Jupiter regni deſiderium, aliaque alii. Atque hac ratione jam varias, antequam humano corpori alligarentur, vitas, ſeu vitae ſpecies vixiſſe mentes dicebantur. Praeterea primigeniae, & *rationali* animae in hujuſmodi per planetas tranſitu alia *irrationalis* copulabatur, & corporibus ſigna quaedam ſive notae, & characteres inurebantur, qui hujus vel illius *Planetae praedominantis* eſſent indicia. Tandem quam potiſſimum egerint in ſphaeris vitam vel *Joviam*, vel *Veneream*, vel alterius cujuſcumque generis, eamdem in terris propriis deſignatam characteribus ſequi opinabantur.

Ut vero ſeptem diverſas vitae ſpecies ſeptem Planetis reſpondentes in priore Statu Mens ſubire dicebatur; ita in Statu altero, nempe corpori conjuncta, ſeptem alias vitas credebatur in terris permutare, quae nihil aliud niſi varia aetatis intervalla, vel periodos, variaſque animi cupiditates prae ſe ferebant. Hoc ſenſu animam ab alia in aliam vitam, & ab alio in aliud corpus tranſire affirmabant.

Poſtquam rite purgata mens humana fuerit, corporeis vinculis ſoluta ad immortalium Deorum conſortium evolat. Sed oportet, ut per eoſdem prorſus gradus aſcendat, per quos antea de-

descenderat: Nimirum rursus per septem planetarum orbes errare cogitur, donec *in chorum Deorum non errantium* recipiatur.

Jam vero hujusmodi vitae ratio post mortem dicebatur transitus *εἰς τὰ ζῶα in animalia*. Nam quemadmodum eruditè probat Irhovius, Planetae, & Stellae fixae *τὰ ζῶα* vocabantur. Ex qua dicendi formula concludit, ortum habuisse commenta de *crassa illa* Veterum, & Pythagorae in primis Μετεμψυχώσει.

Pythagorae doctrinam longe fluxisse ait Tullius (*a*): & *τρῶπε ἀνδρῶν* ex ipsius schola prodiisse tradit Laërtius. Crotoniensis scholae Successio ita se habuit, teste Jamblicho. Pythagorae successit *Aristaeus* Crotoniensis; quem ille, elocata ipsi Theanone filia, generum sibi fecit. Hunc excepit *Mnesarchus* Pythagorae filius. Ei *Tydas* Crotoniates successit. Post hujus obitum cathedra intermissa fuit; revixit autem duce *Aresa*, qui Scholae praefuit: eique suffectus est *Diodorus Aspendius*.

Perhibentur praeterea Pythagoram audiisse *Empedocles* Agrigentinus, *Archytas* Tarentinus, *Epicharmus* Cous, *Ocellus* Lucanus, *Timaeus* Locrensis, *Alcmaeon* Crotoniata, *Hippasus* Metapontinus, *Philolaus* Crotoniata, & *Eudoxus* Gnidius.

At Empedocles cum a Laërtio circa Olymp. LXXXIV. floruisse dicatur, Pythagoram audire non potuit. Fortàsse Pythagoricum quemdam audiit; quippe ipsius doctrina, ut ex fragmentis apud

(a) *Lib. IV. Tuscul. cap. I.*

apud Veteres colligitur, Pythagoricae sectae scitis consentit.

Archytas quoque Pythagorae auditor esse non potuit. Ipsum enim audiit Plato, atque ab eo Pythagoricam disciplinam didicit Olymp. XCVI. Hujus hodiedum exstat liber *de Universi natura* (a), ubi decem praedicamenta explicantur, unde sua hausit Aristoteles.

§. XVII.

De Secta Eleatica.

Eleatensium Philosophia hoc praecipue sollemne habebat, Deum scilicet *τὸ ἓν καὶ πᾶν unum & omnia* esse. Id de Xenophane praeter alios adfirmat Tullius (b): *Xenophanes unum esse omnia dixit, neque id esse mutabile, & id esse Deum, neque natum unquam & sempiternum, conglobata figura.*

In diversa omnia abeunt, qui hujus Sectae placita interpretantur. Nonnulli, inter quos ceteris acrius Petrus Baylius, inter Dei hostes illos esse recensendos, & jam tum Spinozismo prolusisse contendunt. Alii vero nullum non movent lapidem, ut eos atheismi absolvant, & tantae impietatis in Deum immunes fuisse ostendant.

Cudworthus sane, cui & Moshemius adstipulatur, ea formula ἓν καὶ πᾶν summum Deum designasse, h. e. unam illam maximeque perfectam na-

(a) *Venetiis prodiit* 1571.
(b) *Lib. IV. Acad. cap. XXXIII.*

naturam, quae ceteris rebus ortum dederit, pluribus Veterum teſtimoniis probat: inter quae illud potiſſimum eſt, quod Parmenidis ipſius carmina exhibent, quorum fragmenta apud Ariſtotelem, Simplicium, alioſque exſtant. In his quidem Deus deſcribitur, ut natura unica, ſimpliciſſima, ſempiterna, immutabilis, neque ulli unquam viciſſitudini obnoxia.

Deum autem, quem ἓν ὂν *unum* appellabant, ſimul τὸ πᾶν *univerſum* ea de cauſſa nuncuparunt, quod res omnes comprehenderet. Atque hinc eſſe ſubdit Plotinus, quod Deum σφαιροειδῆ dixerint: ut nimirum ſignificarent, aut cuncta in ſemet involuta illum continere; aut ab omni eum parte ſimilem eſſe & uniformem, πανταχόθεν ὅμοιον, ut ait Simplicius.

Eleaticam Sectam condidit *Xenophanes* Colophonius, quem plerique Eruditi Euſebium ſecuti Olymp. LVI. ante Chriſtum 538. natum eſſe arbitrantur. Inſtitutae tamen ab ipſo Sectae nomen dedit *Elea*, Latinis *Velia*, Lucaniae civitas, quae celebrioribus ipſius diſcipulis patria erat.

Xenophanis veſtigia ſecuti ſunt *Parmenides* Eleates, cujus aetatem ad Olymp. LXIX. revocandam eſſe non pauci Eruditi arbitrantur: *Meliſſus* Samius, Parmenidis diſcipulus, qui circa Olymp. LXXXIV. floruit: *Zeno* Eleates, quem Philoſophiam Logica auxiſſe Ariſtoteles, aliique Veteres teſtantur.

Verum Eleatico ſyſtemate repudiato *atomiſticae* Philoſophiae fundamenta jecerunt *Leucippus*, & *Democritus*; quorum alter Eleam, alter vero Ab-

Abderam Thraciae oppidum patriam habuit. Leucippus enim, teste Tullio (a), docuit esse *corpuscula quaedam levia, alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata, curvata quaedam & quasi adunca: ex his effectum esse caelum, atque terram, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito*. Leucippo adhaesit Democritus, qui, ut idem Tullius (b), atomos censuit *in infinito inani, in quo nihil nec summum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum sit, ita ferri, ut concursionibus inter se cohaerescant: ex quo efficiantur ea, quae sint, quaeque cernantur, omnia: eumque motum atomorum nullo a principio, sed ex aeterno tempore intelligi convenire*. Hunc Philosophum oculis se privasse, & nunquam sine risu in publico versatum fuisse nonnulli e Veteribus tradunt; quod tamen commentitium esse plerisque videtur.

Multos Democritus habuit discipulos, quos inter recensentur *Protagoras* Abderites, quem refert Tullius (c) Atheniensium jussu urbe atque agro exterminatum esse, librosque ejus in concione combustos, propterea quod in principio libri sic posuerat, *De Divis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*. *Diagoras* ex Melo Cycladum insula, qui *atheos* dictus est, atque aperte Deorum naturam sustulit, teste eodem Tullio (d). *Anaxarchus* Abderita, aliique.

(a) *Lib. I. de N. D. cap. XXIV.*
(b) *Lib. I. de Fin. cap. VI.*
(c) *Lib. I. de N. D. cap. XXIII.*
(d) *Loc. cit.*

Xenophanem audivit etiam *Heraclitus* Ephesius, quem, quoties domo egrediebatur, flevisse Veteres narrant. Heracliticam sectam ab ipso profectam nonnulli statuunt: at idem corpusculari phisosophiae operam dedisse aliis videtur. Praeterea non defuisse, qui Heracliti disciplinam probaverint, postquam ipsius scripta in Templi Dianae adytis reposita Graecorum manibus versari coeperunt, quamplures e Veteribus memoriae prodiderunt.

§. XVIII.

De Secta Epicurea.

Atomisticum systema, cujus formam ac speciem Leucippus & Democritus adumbraverant, exegit tandem *Epicurus*. Is enim omnium rerum primordia atomos esse statuebat, quae figura ac mole mirifice discreparent, & vita sensuque carerent. Has vero atomos, quibus duplicem motum *gravitationis* & *declinationis* impertivit, nullo a principio, sed ex aeterno tempore in infinito inani volitasse perhibebat; atque inde factum esse, ut post varias complexiones, copulationes, atque adhaesitationes, cum mille formas & figuras modo induissent, modo exuissent atomi, turbulenta tandem concursione effecerint mundum, quaeque in eo essent omnia.

Hoc quidem physices genus, quod ab individuis corpusculis rerum initia arcessit, illuc intendere, ut Deum de medio tollat, nemo est quin intelligat. Et sane Democritus quidquid

est

est in orbe religionis & pietatis adversus Deum, nisi e metu ortum non duxisse garriebat. Atque ipsius liguritor Epicurus licet Deos ἀνθρωπομόρφους invexerit, qui in nescio quibus *intermundiis* habitantes securum aevum agunt, tamen eos jocandi caussa induxisse jure videtur Tullio (*a*).

Porro cum apud Epicurum nihil sit, quod non atomorum turba conficiat; hinc & ipsum animum non modo concursu quodam fortuito ex levibus & rotundis corpusculis effectum fuisse; verum etiam dissoluto corpore, non secus ac cujusdam domus forma, ipsa domo excisa, nulla est, interire atque evanescere decernit. Sententiam porro de animae immortalitate vitae tranquillitati valde repugnare praedicabat. Hinc Lucretius, qui eleganti ac sublimi simplicitate Epicuri dogmata primus Latino carmine exposuit, ita in hanc rem canit (*b*):

Et metus ille foras praeceps Acherontis agendus,
Funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
Omni suffundens mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

A quo non longe discedit illud Virgilii (*c*):

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas,
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Epicurus Athenis natus est Olym. CIX. 3. ante Christum 342. ibique sex & triginta annos natus in horto peramoeno Scholam instituit; quip-

(a) *Lib. II. de Divinat. XVII.*
(b) *De Rer. Nat. lib. III.*
(c) *Georg. II. 491.*

quippe Platonici Academiam, Peripatetici Lyceum, Cynici Cynosargen, Stoici denique Porticum occupaverant. Dum inter vivos versaretur, plures habuit & amicos, & discipulos, quos inter supra ceteros eminent *Polyaenus* Lampsacenus, *magnus mathematicus* teste Tullio (*a*), & *Metrodorus* Atheniensis, quem *alterum Epicurum* appellat idem Tullius (*b*). Ultra trecenta volumina scripsisse tradit Laërtius (*c*): nihil autem ex ipsius scriptis aetatem tulit, si pauca quaedam excipias, quae servavit Laërtius, & Petrus Gassendus potissimum illustravit. Porro Epicuri Scholae, postquam supremum ipse diem obiit, decem deinceps Philosophos praefuisse refert Suidas: eorum autem nomina quatuor duntaxat nobis transmisit antiquitas; qui nimirum sunt *Hermachus*, *Polystratus*, *Dionysius*, ac *Basilides*.

§. XIX.

De Pyrrhone & Scepticis.

PYrrho Eleus, qui paullo ante Epicurum floruit, Anaxarchi discipulus, pictor primum, tum in Democriti libros cum incidisset, Philosophiae operam dedit: variis deinde sapientiae caussa itineribus susceptis, illud inde pessime philosophando extudit, nihil nimirum certo sciri posse. Ipsius sectatores non modo Pyrrhonici, sed

(a) *Lib. IV. Acad. cap. XXXIII.*
(b) *Lib. II. de Fin cap. XXXVIII.*
(c) *Lib. X. cap. XXVI.*

sed a philosophandi disciplina *Aporetici*, *Sceptici*, *Ephectici*, ac *Zetetici* appellati. *Dogmaticos* porro ipsi nuncupabant, quicunque certa & explorata dogmata tradebant.

Veterem fuisse quaestionem ab ipsis Graecis Scriptoribus agitatam refert Aulus Gellius (a), num Pyrrhonicos inter atque Academicos aliquid intersit, an sententiae affinitate ipsi amice conspirent. Nihil utrosque discriminare nonnulli docent. At laudatus Gellius aliquid discriminis inter eos constituit: *Cum haec consimiliter*, ait, *tam Pyrrhonii dicant quam Academici, differre tamen inter sese & propter alia quaedam, & vel maxime propterea existimati sunt, quod Academici quidem ipsum illud nihil posse comprehendi quasi comprehendunt, & nihil posse decerni quasi decernunt, Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod nihil esse verum videtur.*

Illius discipuli potissimum fuere *Timon Pliasius*, qui prius in theatris saltatorem egerat; *Hecataeus Abderites*, *Eurylochus*, aliique.

§. XX.

De Eclecticis, ac de Philosophiae ruina, ejusdemque restauratione.

Recensendi ultimo loco veniunt Eclectici, qui sub Ecclesiae nascentis exordia novam, neque antea tritam philosophandi viam inierunt. Hi nimirum

(a) *Noct. Attic. lib. XI. cap. V.*

Nullius addicti jurare in verba magistri, veritatem ex omnibus Philosophorum sectis colligere, neque aliquid, quod non antea ad trutinam revocarent, accurateque perpenderent, profiteri studebant.

Primus, qui sectarum excusso jugo horum hominum dux exstitit, fuisse fertur *Potamon* quidam Alexandrinus, qui Augusto regnante floruit; licet quidam usque ad Alexandrum Severum illius aetatem protrahant. Cum autem Viri hujus scripta perierint; quibus ipse institutis usus fuerit, aut quorum Philosophorum placita ceteris praetulerit, scire nobis hodie negatum est. Platoni tamen magis favisse conjici inde potest, quod in illius libros de Republ. commentarium, teste Suida, conscripserit.

Hujus autem vestigia plures secuti sunt: potissimum vero *Ammonius* Alexandrinus, vulgo *Saccas* denominatus, qui Christianis parentibus natus, Gentilem postea superstitionem amplexus est; vixit autem sub finem Sec. II. & III. ineunte.

Dionysius Longinus incertae patriae, quem *βιβλιοθήκην τινὰ ἔμψυχον, vivam quamdam ac spirantem bibliothecam* appellat Eunapius (*a*). Ab Aureliano Imp. interfectum fuisse narrat Vopiscus A. C. CCLXXIII.

Plotinus auditor Ammonii natus A. C. CCV. Romae per annos sex & viginti Philosophiam docuit; ac quatuor & quinquaginta libris res Philosophicas prosecutus est, qui nimia obscuritate laborant, licet in iis perpoliendis Porphyrius,

(a) *In vitis sophist.*

rius, rogante Plotino, non mediocrem curam impenderit. E vivis excessit Plotinus A. C. CCLXX.

Amelius, sive ut ipse nominari maluit, *Amerius*, natione Tuscus, qui A. C. CCXLVI. ad Plotinum accessit, quem quatuor & viginti annos audivit.

Porphyrius Tyro oriundus, quod sane nomen Longinus ipsi imposuit, cum antea patria lingua *Malchus* appellaretur. Natus est A. C. CCXXXIII. atque ab Origene Adamantio primum institutus, tum Longinum Athenis, ac tandem Romae Plotinum audivit. Tam aspere & ferociter maledictis & contumeliis Christianos incessit, ut ipsius libros e medio auferri Theodosius Imp. jusserit. Hinc apud veteres Ecclesiae Patres tamquam *diaboli familiaris*, *omnis pietatis eversor*, *rabidus adversum Christum canis* &c. traduci consuevit.

Jamblichus Chalcidensis, qui Porphyrii vestigia legit, ac tantam famae celebritatem sibi comparavit, ut plurimi eruditionis caussa ad ipsum undique concurrerint. Floruit autem Constantino M. regnante; atque ipsum A. C. CCCXXXIII. supremum diem obiisse Viri docti conjectant.

Aedesius Cappadox Jamblichi auditor. Is Pergami in Asia Philosophiam docuit; ibique Julianus Caesar ipsum audivit.

Syrianus Alexandrinus, cujus hodiedum exstat in Metaphysicos Aristotelis libros Commentarius. Floruit ab Arcadii & Honorii aetate usque ad Valentiniani II. imperium.

Chrysanthius, quem inter praeceptores suos recenset Julianus.

Eu-

Eunapius Sardibus Lydiae urbe oriundus a Chrysanthio ad Eloquentiam & Philosophiam informatus. Vixisse illum sub Valentiniano & Valente arbitratur Vossius.

Hierocles Alexandrinus, qui sub Theodosio juniore floruit.

Proclus Byzantinus natus A. C. CCCCXII. Athenis Syrianum audivit. Multa scripsit, quorum nonnulla ad nostram usque aetatem transmissa recenset Fabricius.

Procli discipuli fuerunt; eique in Schola Atheniensi successere *Marinus*, qui Flaviam Neapolim Samariae Urbem patriam habuit: atque *Isidorus* Gazaeus.

Tandem *Damascius* Damascenus, quo Athenis docente Justinianus lege cavit, ne Philosophia a gentilibus Philosophis traderetur.

Quos hactenus recensuimus, *Eclecticos* appellari supra diximus. At iidem *Platonicorum* vel *Pythagoraeorum* appellationem affectabant, quorum potissimum vestigia premere gloriabantur. Hinc *juniores Platonici* nuncupari solent.

Inter Eclecticos locum etiam obtinent veteres Ecclesiae Patres, ac praesertim Clemens Alexandrinus, qui Eclecticam philosophiam, quae nimirum quaecunque ab aliis sectis recte dicta essent complecteretur, sibi placuisse profitetur (*a*). Neque enim Christiani, qui Philosophiae operam navare amabant, aliud poterant, quam hoc philosophandi genus consectari; quippe cum in omnibus sectis multa sint, quae a Servatoris nostri reli-

(a) *Strom. Lib. I. cap. VIII.*

religione prorsus abhorreant, neque cum illa componi queant. Licet prae aliis Platoni magis adhaeserint, quippe Platonicos Christianis *esse propinquiores*, eosque *pacis mutatis verbis atque sententiis Christianos fieri* posse ait Augustinus (a).

IS quidem Philosophiae status erat, cum repente simul cum liberalibus artibus, optimisque studiis tali ictu prostrata jacuit, ut semel atque iterum caput efferre conata, rursus accisa miserrime contabuerit. Postquam enim Romani Imperatores imperii sedem in Thraciam transtulerunt, innumerae pene, eaeque barbarae nationes ex imo Oceano per universas Europae regiones in primisque Italiam effusae omnia diripuerunt, ac devastarunt. Hinc ubique locorum barbaries grassari coepit, adeo ut non longo post temporis intervallo honestarum Scientiarum & Philosophiae potissimum studia perpetuis densissimisque tenebris obscurata, atque adeo sepulta esse viderentur. Resonabat enim undique unius Aristotelis nomen: publicae privataeque Scholae Aristotelica tantummodo verborum monstra, atque ea, quae subtilius Avicenna, Averroës, Albufaragius, aliique Arabes commenti erant, pleno ore praedicabant.

Prima omnium ad bene sperandum de litteris vexillum extulit Italia nostra, quae cum extorres e Graecia Musas in sinum suum recepisset, humaniores artes de Gothicis & Longobardi-

(a) *Lib. VIII. de Civ. Dei, & de Vera Rel. cap. XII.*

dicis tumulis, ubi diu jacuerant, excitavit. Tum quidem Philosophia squallore deterso pristinum vultum, longe tamen nitentiorem protulit, ope praesertim Matheseos, quae impensiore, quam antehac, studio excoli coepit: accesserunt etiam experimenta & observationes, quas novas quotidie in rerum naturam praeclarissimi quique Viri instituerunt.

Instituti ratio non patitur, ut eos omnes recenseamus, quorum in Philosophicis disciplinis exornandis studium adeo effulsit, ut non illae quidem olim fuisse minores, sed omnino vix exstitisse videantur. Quis enim praecipua Philosophiae lumina pro dignitate praedicaverit, *Baconem Verulamium* in Anglia, *Galilaeum Galilaei* in Italia, *Renatum Cartesium*, & *Petrum Gassendum* in Gallia, *Thomam Burnetium*, *Guilielmum Wisthonum*, atque *Isaacum Newtonum* in Britannia, *Gothofredum Guilielmum Leibnitium*, & *Christianum Wolfium* in Germania, aliosque, quos longum esset commemorare?

Philosophica Cartesii praesertim, Newtoni, & Leibnitii Systemata ad Logicam festinantibus ne delibare quidem licet. Ea tamen licet discerpta, & hic atque illic interspersa, tum in hisce Metaphysicis, tum Physicis Institutionibus, satis exponentur.

Illud duntaxat παρεργῶς hic animadvertatis volo, philosophandi rationem, quam pro suo quisque studio laudati modo Viri consectantur, sibi proprios praeseferre characteres, queis una ab altera internoscatur. Peripateticos quidem si inspicias, eos propriis ideis indulgere, ac de meta-


taphysicis physice, de physicis autem metaphysice differere deprehendes. Sin ad Cartesianos spectas, licet ipsi observationibus vacent, tamen naturali de omnibus differendi libidine abrepti hypotheses persaepe fingunt, ut effectuum naturalium rationes reddant.

Contra vero Newtonus totus in hoc est, ut naturae φαινόμενα observationibus & experimentis accuratissime institutis penitus inspiciat, rerumque effectus perscrutando eos simul connectat, nihil sollicitus de internis caussis, unde illi oriantur. Leibnitius tandem ingenio & phantasiae nimis indulget, licet ex his, quae comminiscitur, recte deducat; adeo quidem ut Scholasticorum philosophandi rationem laudasse, eorumque labefactatam auctoritatem veluti postliminio restituere aggressus esse videatur Fr. Buddeo (a). Atque haec de Philosophiae ortu & incrementis, deque variis Philosophorum opinionibus dixisse sit satis.

LO-

(a) *In Epit. Hist. Philos. ad §. 92. cap. 6.*

LOGICAE ELEMENTA.



ANTELOQUIUM.

PROVIDENTISSIMUS naturae Auctor quemadmodum insatiabilem veri inveniendi cupiditatem nobis ingenuit: ita ejusmodi viribus rationem nostram instruxit, ut veritatem ipsam investigare possimus. Naturali enim quadam sagacitate nullo ducta duce humana Mens *consequentia cernit, principia & caussas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque praesentibus adjungit, atque adnectit futuras*: ut loquitur Tullius (a).

Porro *Naturalis Logica* appellari consuevit vis isthaec, quam a natura insitam habemus. Eaque facem praefert, ac veluti viam aperit Logicae, quam *adquisitam* & *artificialem* vulgo nominant. Usus enim nostrarum virium in veri indagatione nos eam Artem docuit, quae vires ipsas augeret

(a) De Offic. Lib. I. cap. IV.

geret ac perficeret, & certis quibusdam praeceptis, hominis rationem regeret ac juvaret.

Ars igitur Logica quamvis e natura ipsa suam arcessat originem, maximo tamen opere necessaria est. Nam 1. quae tanquam semina natura nobis indidit, ea doctrinae studio accedente explicantur, ac fecundiora fiunt. 2. Quo per longas ambages, ac veluti tentando sola ratione pervenire possumus, eo Artis praeceptis innixi citius ac facilius ducimur. 3. Perversae opiniones & praejudicia, quibus non raro ab infantia imbuimur, investigandae veritatis iter intercipiunt. Atqui hujusmodi errores nobis Ars detrahit.

Quamobrem Logica humanae rationis culturae destinatur. Illuc enim hujusce Artis praecepta respiciunt, ut eam perspicientiam ratio sibi comparet, qua recte cogitare, suisque cogitationibus verum assequi possit. Eam igitur, doctis Viris praeeuntibus, *Artem cogitandi* definire possumus.

Jam porro humanae Mentis Intellectus cum insitam sibi cogitandi vim exserit, aut *percipit*, aut *judicat*, aut *ratiocinatur*, aut tandem suas cogitationes *disponit*. Quae quidem variae Intellectus *ἐνέργειαι* sive *operationes*, diversi sunt modi, quibus Mens utitur in cognoscendo.

I. *Perceptio*, sive *simplex Apprehensio* dicitur Intellectus cogitatio, qua rem intuetur duntaxat, ac percipit, nihilque de illa aut ait, aut negat. Veluti cum *Solem*, *Arborem*, *Triangulum* nobis ipsi repraesentamus.

Hujusmodi autem rei objectae perceptionem

non

non uno pacto fieri in nobis ipsi experimur. Nam 1. rem percipimus nulla corporea imagine expressam, sed omni utcunque sensibili specie nudatam. Atque isthaec Mentis cogitatio *Intellectio pura* vocatur.

2. Huic adversatur illa, quam Φαντασίαν, sive *Imaginationem* appellant; qua nimirum res aliqua ita Mente concipitur, ut sensibilis, & corporea illius imago intra nos efformetur, ac veluti depingatur.

3. Eodem *Imaginationis* nomine donatur ea Mentis actio, per quam absentium rerum imagines ita repraesentantur animo, ut eas cernere oculis, ac veluti praesentes habere videamur.

4. His adde *Memoriam*, h. e. vim illam, qua Mens iterum percipit, quae jam percepit, conscia quidem se olim ea percepisse. Quae sane conscientia iteratae perceptionis ita requiritur, ut ea sublata nulla sit memoria.

5. Ad Intellectum etiam attinet Αἴσθησις, *Sensatio* tum *interna*, tum *externa*. Illa quidem est, qua Mens sibi ipsa conscia est eorum, quae intrinsecus contingunt: nimirum & sese, & quidquid intus agit, aut patitur, intimo quodam sensu persentiscit. Haec autem est perceptio rerum externarum, quae corporis sensus afficiunt.

Hic tamen animadvertendum in qualibet sensatione externa duo esse distinguenda, & motionem, quae in sensibus oritur, & Mentis attentionem, qua hujusmodi motionem ipsa sentit. Alterum pendet ab objectis, quae extrinsecus sensibus occurrunt; ita quidem, ut, quo lentior

tior aut fortior in sensuum organis cietur concussio, eo languidior aut vividior in Mente sensus excitetur. Alterum vero adeo ad Mentem attinet, ut nisi id attendat, & adsit, nullos ictus nullosque rerum externarum appulsus sentire queat.

II. Altera Intellectus operatio est *Judicium*. Nimirum Mens inter ea, quae percepit, comparatione instituta, ipsorum convenientiam aut dissensionem agnoscit. Ita *Virtutem esse aestimatione dignam*: *divitias ad nostram beatitudinem satis non esse* pronuntiamus. Cum enim *virtuti aestimationem* convenire deprehendimus, adfirmantes judicamus: cumque nullum inter *divitias*, & *beatitudinem* nexum intercedere animadvertimus, negantes judicamus. Quamobrem cum Mens *judicat*, aut ait, aut negat rem cum alia convenire.

III. *Discursus* vero sive *Ratiocinatio* dicitur ille intellectus actus, quo duo judicia simul componit, & ex iis tertium colligit. Puta si judicavimus illam esse veri nominis virtutem, quae ad Deum refertur, tum etiam Ethnicos illam ad Deum minime retulisse; hinc deducimus non fuisse veram eorum virtutem.

IV. Postremo *Methodus* dicitur certa quaedam perceptionum, judiciorum, & ratiocinationum series, qua haec omnia recte & apposite ad verum aperiendum disponuntur.

Quamobrem in totidem partes Logica dividatur oportet, quot scilicet modis ad veritatem inquirendam Mens ipsa ducitur.

Illud hic ultimo loco animadvertendum volumus,

mus, Artem Logicam a sophistica longo intervallo distingui ac separari. Haec enim inani subtilitate verborumque tricis rixandi libidinem fovet: eapropter ἐριστικὴ, h. e. *contentiosa* a Veteribus appellata communi omnium suffragio repudiatur ac rejicitur; quippe veritati densissimas potius tenebras obducit, quam lucem affundit.

LOGICAE ELEMENTORUM

PARS I.

PRimum nostrae Mentis gradum, quo ad rerum cognitionem progreditur, illum esse, cum quidpiam cogitatione complectitur, jam diximus. Porro quia dum aliquid concipimus, illius quamdam nobis ipsi notionem efformamus, quam deinde vocibus expromimus; propterea primo de Ideis, earumque variis generibus, tum de Vocibus quanta maxima fieri potest brevitate differemus.

CAPUT I.

De Ideis.

IDea, (Gr. Ἰδέα) quam *Speciem*, sive *Formam*, atque *Exemplar* Latine dixeris, appellatur id quod Mens sibi praesens esse sentit, dum ipsa aliquid percipit. Sic dum *Triangulum* cogito, quod Menti cogitanti obversatur, vocatur Idea. Cave

Cave autem putes Ideae vocabulo illum exprimi concipiendi modum, quo Mens imagines quasdam in cerebro depictas intuetur. Id enim φαντασία vocatur, sive *Visio* aut *Visum*, ut Latine reddit Tullius: atque ad Imaginationem spectat. Cujusmodi est imago illa, quae mihi dum *florem* cogito, *florem* ipsum exhibet.

Licet autem ita comparati sumus, ut fere nihil nisi corporea quadam indutum imagine percipere possimus; multa tamen sunt, quae sub Imaginationem non cadunt. Ita si Triangulum considero, facile est illius effigiem exprimere. Verum si chiliogonum mente concipiam, nunquam assequi potero, ut hujus figurae species mihi objiciatur: quamvis chiliogonum percipiam, atque illius proprietates perspectas habeam.

Ut igitur veram Ideae notionem assequamur, expungamus oportet quascunque sensibiles imagines, quas veluti depictas in cerebro imaginatio nobis offert. Ea cogitatio, quae nobis obversatur, quam nobis inesse sentimus, cum aliquid percipimus, erit Idea.

§. I.

De Ideis secundum originem inspectis.

JAM vero Idearum multa sunt genera. Nam si earum attendas originem, aliae dicuntur *Adventitiae*, aliae *Factitiae*, aliae *Innatae*.

Adventitiae, quas etiam *adquisitas* vocant, sunt quae a rebus externis per sensus veluti per totidem vias ad Mentem perveniunt; cujusmodi

ſunt ideae omnes rerum corporearum, quae ſenſibus hauriuntur.

Factitiae appellantur illae, quas ipſa ſibi Mens efformat: cum ex ideis comparatis aut componendo, aut ſeparando, aut alio quovis pacto novas effingit. Veluti cum humano capiti cervicem equinam jungimus: vel longitudinem neglecta latitudine & profunditate contemplamur.

Innatas tandem eas quidam Philoſophi dixerunt, quas vel facile & neceſſario adquirimus, vel inſitas & quaſi in animo conſignatas habemus.

§. II.

De Idearum Proprietatibus.

IDeae ratione ſuarum affectionum conſideratae I. ſunt *Clarae*, aut *Obſcurae*. Porro in hujuſmodi claritate definienda vehementer diſſentiunt Philoſophi; neque mirum, cum nominum definitiones ab hominum pendeant arbitrio. Sed quoniam verborum ſententia ad communem uſum, & vocum proprietatem exigenda eſt; hinc accuratius eam definiendam ducimus.

Ideae *clarae*, atque *obſcurae* denominatio ab externa viſione deſumta eſt. Harum igitur vocum ſententia non aliunde rectius hauriri poterit, quam ex eo, quod clarum aut obſcurum eſſe perhibetur in iis, quae oculis ſubjiciuntur. Nam *haec vel ſumma laus eſt verbi transferendi, ut ſenſum feriat id, quod translatum ſit*, ait Tullius (*a*). Res

(a) *De Orat. Lib. III. cap. XLI.*

Res autem corporeae *clare* oculis conſpici vulgo dicuntur, cum ita nobis repraeſentantur, ut figuram, colorem, ceteraſque ipſarum proprietates perſpiciamus. Contra vero ea *obſcure* cernere dicimus, quorum vix ſpecie inſpecta nullas peculiares dotes deprehendimus.

Quamobrem illa *clara* Idea appellanda eſſe videtur, quae rei objectae proprias, non communes duntaxat cum aliis proprietates repraeſentat; *obſcura* vero, cujus ope non peculiares, ſed communes cum aliis proprietates exhibentur.

Haec autem claritas atque obſcuritas major aut minor eſſe poteſt; illae enim Ideae clariores erunt, quae plura & magis propria rei attributa praeſeferunt: quemadmodum obſcuriores, quae pauciora, & communiora Mentis oculis ſubjiciunt. Uno verbo: clarior Idea proprietates magis determinantes, obſcurior minus rem definientes prae ſe oſtendit.

Rem exemplo illuſtrabimus. Procul homo apparet, cujus neque ſpeciem neque motum aliquem aſpicimus; rem extenſam ac ſtantem duntaxat intuemur. Atque hîc longe poſitum hominem *obſcure* cernimus. Idea igitur, quae nobis obverſatur, obſcura eſt; propterea quod exſiſtentiam & extenſionem duntaxat percipimus, quae quidem ſunt proprietates illi cum aliis rebus communes. Nimirum hominem illum longe poſitum nobis repraeſentamus veluti rem quamdam *ἀοριστικῶς indefinite*. Deinde paullatim adventates, formam aliquam, motum aliquem deprehendimus; ſed nec vultum, nec membra, nec inceſſum cernere licet. Hîc autem minus *obſcure*

ille nostris oculis objicitur. Quae igitur illius idea intellectui nostro sistitur, minus obscura erit. Sunt enim minus communes, quas deprehendimus proprietates. Donec tandem cum prope adesse datur, os artusque hominis, ceterasque ipsius dotes oculis subjectas dilucide perspicimus. Hîc vero quemadmodum *clare* illum videmus, ita clara illius idea nobis obversatur. Quippe proprietates, quas exhibet idea, homini sunt peculiares, illumque definiunt.

Ita quoque si quis Quadratum ut figuram planam quadrilateram duntaxat conciperet, obscuram illius ideam haberet; quippe id commune est pluribus aliis figuris. Haec autem clara erit, si illud & quatuor aequalibus lateribus praeditum, & rectangulum esse norit.

II. Claras atque obscuras excipiunt Ideae *Distinctae*, & *Confusae*. Nonnulli claras a distinctis nihil distare adserunt; quae enim sunt clarae, eas & distinctas esse ajunt. Verum aliquando Ideae licet clarae, haud tamen sunt distinctae. Quod quidem tribus fere de caussis oriri solet.

1. Fieri enim potest, ut quis privatas rei alicujus notas cognitione assequatur, at eas non singillatim, sed universe veluti uno obtutu consideret: ita quidem, ut illas internoscere nequeat. Ex. gr. Idea Quadrati & clara erit, & distincta, si ita illud mihi exhibeam, ut & quatuor laterum aequalitatem, & angulos rectos singillatim contempler. Verum haec confusa erit, si quis Quadrati proprietatem, qua omnes angulos rectos habet, non apte secerneret ab ea, qua latera habet aequalia.

2. Ex

2. Ex alio praeterea capite Idearum confusio proficiscitur : si nimirum rei alicujus idea simul admiscet proprietates oppositas, aut diversas ab illa, quae repraesentatur. Hoc vitio laborabat Animae idea, quam plerique veteres Philosophi habebant, qui subtilissimam quamdam materiam ipsi adscripserunt.

3. Demum illud in Ideis confusionis origo esse solet, quod rei objectae proprietates cum nostrae Mentis affectionibus permiscemus. Veluti cum calorem illum, quem manu ad ignem admota sentimus, ita confundimus, ut illum in igne esse existimemus : vel cum doloris sensum manui, non Menti inesse nobis persuademus. Si triplex hoc vitium absit, Ideae erunt Distinctae.

III. Idea aut eas exhibet proprietates, quibus res ab omnibus aliis semper secerni possit : aut non item. Si primum, Idea dicitur *Completa*; sin alterum, *Incompleta*. Si fluvium Mente concipiam aquarum congeriem esse, quae alveo continentur, & pondere suo decurrentes in mare se mittunt: completam fluminis ideam habeo. Esset autem incompleta, si flumen ut aquarum vim, quae pisces alunt, mihi exhiberem; id enim & lacui, & paludi commune est.

IV. Si proprietatum omnium, quae in re objecta reapse insunt, notiones distinctas Mente complectar: tum demum haec Idea *Adaequata* vocabitur: secus vero, *Inadaequata*.

Ex his porro patet: 1. Ideam claram esse quoque completam. Peculiares enim rei proprietates sunt, quae rem ipsam a ceteris discriminant.

2. Ideam obſcuram eſſe incompletam. Quippe per communes proprietates res ab aliis non ſecernitur. 3. Non oportere adaequatam eſſe ideam, ut ſit clara: ſive ideam claram non eſſe adaequatam. Neque enim omnes omnino proprietates, ſed eas, quae rem definiunt, perſpectas habeamus oportet, ut clara nobis adſit rei idea. 4. Ideas omnes adventitias eſſe inadaequatas. Rerum enim, quarum ideas per ſenſus adquirimus, omnia ad unum attributa certo ſcire non poſſumus.

V. Ideae aliae ſunt *Simplices*, aliae *Compoſitae*. Simplices vocantur illae, in quibus ne Mente quidem plura diſtinguere licet. Hujuſmodi ſunt Ideae ſenſuum, ſive ſenſationum. Nemo enim in coloris coerulei, in odoris roſae, in ſingularis cujuſvis ſoni, aut ſaporis ſenſu partes ullas viderit, quas diſtinguere & deſignare poſſit.

Eidem ſimplicium claſſi adſcribendae ſunt Ideae cogitationis, voluntatis, doloris, voluptatis, aliarumque Mentis affectionum. Nam ſi conſideremus quid ſit *velle*, *judicare &c.* incaſſum in iis partes diſtinguere adnitemur.

Compoſitae vero dicuntur, in quibus plura diſtinguere, & ſeorſum intelligere poſſumus; eae nimirum ſunt, quae ex pluribus Ideis ſimplicibus conſtant. Quare ideae omnium corporum ſunt compoſitae, cum in iis poſſimus partes quaſvis ſine aliis intelligere. Ejuſdemmodi ſunt Ideae omnes *collectivae*, ut Civitatis, Exercitus &c. Item compoſitae ſunt Ideae Virtutum, & Vitiorum.

VI. Tandem Ideae in *Falſas*, & *Veras* vul-

go distingui solent. Porro si Ideas prout Menti repraesentantur accipias, nullus in iis falsitati locus esse potest. Illae enim non sunt, nisi rerum formae animo comprehensae, fieri igitur non potest, ut id, quod Menti obversatur, ibi praesens non sit. Sic idea *Centauri*, cum Menti objicitur, perinde falsa non est, ac vox ipsa *Centaurus*, cum ore exprimitur, aut litteris consignatur.

Verum Ideae falsitatem admittere possunt, si ad aliquod exterius referantur; in hac enim relatione tacite Mens judicat eas rei externae aut convenire, aut repugnare; ex quo quidem judicio fit, ut ipsae Ideae falsae sint.

Id autem contingit, 1. cum quis sibi persuadet communes se habere cum aliis rerum Ideas, quae iisdem apud omnes nominibus donantur. Si enim simplices Ideae excipiantur, quas alias in aliis hominibus vix reperies: ideae ferme omnes compositae hujusmodi falsitati obnoxiae esse possunt.

2. Cum quis Ideas, quas habet, respondere rebus existimat, quae tamen in rerum natura non exsistunt. Hoc pacto falsa est idea *Centauri.*

3. Demum cum Ideas, quae rei alicujus omnes proprietates minime prae se ostendunt, perfecte rem exhibere Mens judicat.

§. III.

De Mentis Abstractione.

HUmanae Mentis imbecillitas, quae omnes rei objectae proprietates uno obtutu compre-

prehendere nequit, in caussa est, cur res veluti in partes distributas singillatim contemplemur. Quem quidem cognoscendi modum Schola *Praecisionem* & *Abstractionem* appellat.

Jam vero *praecisionis* ope rei alicujus proprietates alias ab aliis seorsum consideramus. Hujusmodi praecisionem in *objectivam*, & *formalem* distinguere licet. Praecisio objectiva est, cum ex proprietatibus, quibus reapse res afficitur, unam & reliquas deinde ab aliis sejunctas contemplamur. Veluti cum Auri proprietates *gravitatem*, *colorem*, *ductibilitatem*, *fusilitatem &c.* alias ab aliis separatas considero.

Formalis vero, cum is ordo in rei diversis proprietatibus considerandis servatur, qui totus ab intelligentia pendet. Si nimirum distincta in re quapiam attributa apprehendo, quae seorsum considero: ut cum generis & differentiae rationem veluti duo distincta mente assequor: vel cum essentiam ab exsistentia separatam considerant Metaphysici.

Praecisionis usus perutilis est, atque omnino adhibendus in implicatis quaestionibus extricandis. Eas enim rei proprietates exquirere & discutere oportet, quae ad quaestionem solvendam solae conducunt, alias vero negligere: quae potius implicarent, quam enodarent quaestionem.

Abstractionis opera utimur, cum omissis iis, quae singularum rerum propria sunt, ad illud attendimus, quod his omnibus commune est. Veluti cum pluribus collatis hominibus *ἀνθρωπότητα humanitatem* seorsum ab iis contemplamur. Hanc *universalem abstractionem* Scholae ap-

pel-

pellant: quia per eam notio exprimitur, quae omnibus universe ejusdem generis rebus convenit.

§. IV.

De Ideis Singularibus, Particularibus, & Universalibus.

Singularis Idea ea est, quae singularem rem quamdam, seu *ὡρισμένην certam* exprimit: veluti est Idea hujus hominis, hujus corporis, certae scilicet cujusdam rei.

Haec autem *particularis* facile fieri potest, si rem unam quidem, non tamen definitam, *ἀόριστον*, ut ait Theophrastus, exhibeat: qualis est idea cujusdam hominis, cujusdam arboris.

Quod si Mens res singulares suis singulas proprietatibus spoliet, *universalis* idea exoritur, quae nimirum eas sub una eademque ratione, in qua conveniunt, repraesentat.

Jam vero hujusmodi communes notiones, quibus res considerare possumus, ad quinque classes vulgo revocantur. Eas Stoici *νοήματα notiones*, Peripatetici *κατηγορούμενα praedicata*, Scholastici vero *universalia*, & *praedicabilia* vocant, quippe quae possunt *praedicari*, h. e. dici atque enunciari de aliquo. Haec autem sunt *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, & *Accidens*: uti ea recensuit Porphyrius in Εἰσαγωγῇ de Praedicabilibus.

Genus est Idea attributi, quod, ut ait Cicero (a), *sui similes communione quadam, specie au-*

(a) *De Orat. Lib. I. cap. XLII.*

autem differentes, *duas pluresve complectitur partes*. Sic Idea *Entis* communis est tum *Substantiae*, tum *Modo*: quemadmodum Idea *Substantiae* complectitur *corpoream*, atque *incorpoream*.

Duplex autem distinguitur *Summum*, ac *Medium*. Illud summum quidem occupat fastigium, nullique subjicitur: ut *Ens*, vel in Geometria *Figura*. Hoc, quod *interjectum* alii appellant, ita genus est, ut possit esse species; cujusmodi est *Corpus*, *Substantia*, atque apud Geometras *Figura plana*.

Species sunt hae, *in quas*, ut ait Tullius (*a*), *Genus sine ullius intermissione dividitur*: veluti sunt *Substantia*, & *Accidens*, quae sunt species Entis.

Verum hujusmodi Ideae si ad communiores referantur, Species; sin ad minus communes, Genera vocantur. Ita apud Geometras *Triangulum* ad *Figuram planam* relatum Species est; Genus autem, si ad *Aequilatera*, *Isoscelia &c.* referatur. Quare nonnullis ea dicitur Species, quae ejusmodi est, ut nequeat esse Genus; infima scilicet, quae proxime res singulares attingit. Hanc Stoici εἶδος εἰδικώτατον, Scholastici vero *Speciem specialissimam* appellant.

Differentiam definit Porphyrius *id*, *quo Species Genus excedit*. Genus enim in Species dividitur; cujusque igitur Speciei idea aliquid complectatur oportet, quod Generis Idea non prae se gerit: atque hoc scilicet est, quod *Differentia* di-

(a) *Topic. VII.*

dicitur. Ita quod Triangulum tribus comprehendatur lineis, eſt illius Differentia.

Porro Differentia vel eſt *Specifica*, vel *Numerica*. Illa Speciem dividit a Specie; haec ejuſdem diſtinguit Speciei individua, res nimirum ſingulares, quae ſolo numero differunt.

Attributum, quod neceſſario Differentiae conjungitur, *Proprium* dicitur. Ita Trianguli proprietas eſt, ut duo ejus latera, utcunque ſumantur, majora ſint tertio. Verum attributum, quod a re ſejunctum nihil detrimenti hujus eſſentiae affert, *Accidens* appellatur; ut in cera rotunditas.

§. V.

De Ideis ad objecta relatis.

IDeae, quas ſibi Mens comparat, perinde inter ſe differunt, ac res ipſae, quae ideis repraeſentantur. Ita ſi *Auri* pondo mihi objiciatur, non modo illud veluti rem aliquam, quae per ſe conſtet, mihi exhibeo; verum etiam illius figuram, puta *rotunditatem*, aliquid *ὀντότητος realitatis* habere percipio: quamvis duo haec valde inter ſe diſtare deprehendam. Quippe ita aurum exſiſtit, ut ipſius exſiſtentia propria & peculiaris non ſit eadem, atque exſiſtentia aliorum corporum, quibus circumſepitur. At rotunditas ſua caret exſiſtentia, ſed veluti auro adhaerens exſiſtit; quippe illius exſiſtentia eadem eſt, atque auri, quod ea figura afficitur.

Inde igitur Subſtantiarum & Modorum ideae efformantur. *Subſtantiae* enim ſive *Rei* vocabulo de-

designamus illud, quod per se constat, suam habet exsistentiam, seorsum ab aliis exsistit. *Modum* vero dicimus quodcunque propria destitutum exsistentia in re, cujus modus est, exsistit. Nimirum Substantia est, Modus vero inest.

Verum hujusmodi ideae licet inter se discrepent, ita tamen secum conveniunt, ut altera ex altera proficiscatur. Substantiarum enim ideae conflantur ex ideis modorum seu proprietatum, quas arctissimis veluti vinculis colligatas simul cohaerere percipimus. Earum scilicet *σύστημα collectionem* unius substantiae nomine nuncupamus. Ita extensionem, divisibilitatem, inertiam, soliditatem, mobilitatem &c. simul coagmentatas *Corpus* appellamus. Ea porro quasi vincula quibus secum proprietates cohaerent, rationes sunt, quibus aliae in aliis continentur. Ita ratio divisibilitatis & figurabilitatis comprehenditur in extensione: impenetrabilitatis in resistentia &c.

Contra Modorum ideae a Substantiarum ideis lucem mutuantur. Modus enim idem reapse est, ac Substantia ea *τῷ εἶναι essendi* ratione praedita, tali scilicet pacto modificata. Facilius igitur est modum assequi, si rem, cui ille inest, cogitatione complectar.

Ex his patet novam esse Substantiae notionem, quam more suo tradit Joannes Lockius (*a*). Is enim Substantiam definit *ὑποκείμενον, subjectum* ignotum, quod *substratum* est, nimirum basis ac fundamentum proprietatum, quas ope sensuum ex-

(a) *Essai de l' Entend. Hum. Liv.* 1. *chap. III.* §. 18. *Liv. II. chap. XXIII.*

exſiſtere deprehendimus, & ſine re aliqua *ſubſtante* eſſe non poſſe arbitramur. Atque hinc ipſum *ſubſtantiae* vocabulum factum eſſe ſubnectit; quippe exprimit id, quod *ſubſtat*, h. e. ſubeſt modis. Quamobrem ſingularum rerum ideas nihil aliud praeſeferre docet, niſi proprietatum ſimul exſiſtentium collectionem, quibus ſubſit ignotum quoddam ſubjectum. Ita cum *Corpus* dicimus eſſe *rem extenſam*, *ſolidam*, *mobilem &c.* nihil aliud intelligimus, quam neſcio quod ſubjectum, quod veluti fulcrum ſubeſt extenſioni, ſoliditati &c. Eadem differit Joannes Clericus, cui mos eſt Lockii ſcrinia compilare (*a*).

Verum non recte Lockius expendit ſubſtantiae generatim inſpectae notionem, quam ſingularum ſubſtantiarum ideis adnectere ſolemus. Nimirum ea eſt humanae Mentis indoles, ut ſingulis rebus ideam generis, ad quod illae pertinent, ſemper adjungat. Quod quidem eo conſilio fieri quiſque videt, ut rem ignotam per notam generis ideam perſpectam habeamus. Eapropter in definitionibus, uti mox dicemus, genus ac differentia adhiberi ſolent. Ita cum concipimus *Triangulum*, nobis repraeſentamus *figuram planam*, quae tribus lateribus continetur: nimirum Generis ideam praemittimus. Idem praeſtamus, cum aurum, cum lapidem, cum arborem, cum ceteras quaſque res mente complectimur.

Porro in eo vehementer fallitur Lockius, quod hanc generis ideam illum eſſe ſubjectum docet, quod nobis ignotum proprietatibus ſubeſſe

(a) *Tom. II. Oper. Philoſoph.*

esse arbitremur. Hujusmodi enim Lockii *substratum* non est, nisi vaga quaedam, communis, atque indefinita idea, quam singulis rebus adscribere consuevimus. Ita habemus ideam vagam Substantiae, Figurae, Numeri, Corporis, Arboris &c. quae tribuitur singulis substantiis, singulis figuris, singulis numeris &c. Absurdus autem esset, qui vagam hanc ideam veluti rem quamdam ignotam sibi repraesentaret, quae reapse exsistat, & ab ipsis peculiaribus rebus distinguatur. Nullus hominum cum triangulum figuram esse dicit tribus lateribus comprehensam, sibi persuadet quamdam figuram esse, quae diversa a spatio tribus lineis comprehenso trianguli proprietates in se recipiat.

Quamobrem cum peculiares Substantias animo complectimus, cavere debemus, ne substantiae generatim inspectae notionem cum illarum ideis temere confundamus. Frustra enim erimus, si incognitam rem investigemus, quae veluti quaedam basis simul cohaerentes proprietates sustineat. Potius igitur semota generali Substantiae notione, cohaesionem, complexionem, coagmentationem proprietatum, quae simul sunt, ac simul apparent, Mente complecti debemus.

Jam vero substantiae ipsius *Essentiam* appellamus eam proprietatem, quae prima occurrit, prima concipitur, prima reliquas antevertit, qua neglecta ceterae concipi nequeunt; quae tandem ceterarum rationes in se comprehendit. Atque hinc reliquae proprietates in duas classes dividuntur. Aliae a Substantia sine ejusdem Essentiae detrimento separari non possunt; is enim est

est illarum character, ut si a Substantiis abstractione disjungantur, res ipsas animo complecti non liceat. Aliae vero Substantiae adesse, atque abesse possunt incolumi ipsius Essentia; quippe ea est illarum nota, ut licet ipsas negligamus attendere, rei tamen cognitionem penitus assequamur.

Quae ad primam modorum classem attinent, *Essentiales proprietates*, seu *Attributa:* quae vero ad alteram, *accidentales*, seu *Accidentia* Schola Philosophorum appellat. Illa *necessario*, haec vero *contingenter* Substantiis inesse vulgo ajunt. Ex. gr. Trianguli essentia sita est in ternario linearum numero, quibus comprehenditur. Illius essentiales proprietates sunt, quod bina quaecunque latera tertium excedant, quod anguli omnes duos rectos adaequent &c. Accidentales vero, quod rubrica pictum aut carbone Triangulum in tabula exstet.

Substantiarum & Modorum ideis *Relationum* ideae adjungi possunt. Hoc vocabulo *relationis* nominatur ea idea, qua ad aliam contemplandam ducimur. Ita cum aliquem *Patrem* appello, Mens statim fertur ad *liberos*, quos genuit; quare illius idea, quae mihi obversatur, complectitur etiam filiorum procreationem.

Atque haec Relatio quamvis ad Mentem pertineat, ipsi tamen rei innititur, sive in ea *fundamentum habet*, ut Scholae loquuntur; quatenus caussam adfert, quare Mens illam cum alia comparet. Porro hujusmodi relationes innumeras esse nemo non videt; quippe nulla res est, quae nequeat alterius cogitationem excitare; vel enim singulae hujus universitatis res veluti factae at-

que e nihilo eductae ad suum Creatorem referuntur.

§. VI.

De Definitione, & Divisione.

Logicae munus esse, ut rem definiat, & genera dispertiat, jam olim advertit Cicero (a); atque illud ad simplicem Mentis Perceptionem pertinere docuit Aristoteles. Porro I. Definitio, ut ait laudatus Cic. (b) est *oratio, quae quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime.*

Est autem duplex, altera *Nominis*, altera *Rei*. Illa verborum perspicuitati consulens vocum notiones patefacit. Haec vero involutae rei notitiam aperit.

Jam porro Rei Definitio alia dicitur *Essentialis*, alia *Descriptiva*. Essentialis, quae rei naturam explicat per attributa essentialia; quorum quae sunt communia cum aliis, dicitur *Genus*; quae vero privata, *Differentia*. Veluti cum Triangulum definitur *figura plana, quae tribus lateribus continetur*. Descriptiva vero, qua res explicatur per proprietates, quae rei naturam non constituunt: ut cum Hominem dicimus *animal bipes, implume, capite erecto &c.*

Rectae Definitionis regulae sunt: 1. Ne angustior sit aut amplior re definita, sed cum illa reci-

(a) *V. Tuscul. XXV.*
(b) *Orat. XXXIII.*

reciprocetur. 2. Ut brevis sit, modo non sit manca; hoc autem fit, si proximum genus, & propria differentia adhibeatur. 3. Tandem ut sit clarior re definita.

Demum hic monuisse supervacaneum non erit, cavendum esse, ne nominis definitionem cum rei definitione confundamus. Illa enim, cum vim verborum ex communi aut propria opinione aperiat, a nostro pendet arbitrio: haec vero nostri juris non est, sed cum re ipsa convenire oportet; quippe quae naturam rei, seu quid res est, explicat.

II. Divisio est *totius in partes distributio*. Totum autem in Schola aliud dicitur *Logicum*, aliud *Physicum*. Logicum partes habet sibi subjectas, quas potestate quadam continet: ut *animal*, quod dividitur in *hominem*, & *belluam*. Physicum partes habet, ex quibus reapse componitur: veluti cum *homo* e corpore animoque constare dicitur.

Ut Divisio recte instituatur, quatuor serventur oportet. 1. Ut nulla pars neque praetermittatur, neque redundet. 2. Pars una aliam non complectatur. 3. Gradatim & per membra proxima procedat. 4. Non fiat in partes nimis minutas. *Dividi* enim, ad rem Seneca (*a*), *non concidi utile est . . . Idem enim vitii habet nimia, quod nulla divisio: simile confuso est quidquid in pulverem usque sectum est.*

(a) *Epist.* LXXXIX.

CAPUT II.

De Idearum signis, seu de Vocibus.

PLura sunt, quae de Vocibus disputari possent. Sed de his Grammatica potius, atque Ars Critica jure suo agunt. Quae igitur utiliora, & rei Logicae affiniora videntur, duntaxat seligemus.

§. I.

De Vocum Origine.

NUlla esset humani generis societas & communitas, si quas taciti nobiscum ipsi revolvimus ideas, cum aliis communicare minime liceret. Omnino oportebat, ut aliqua suppeterent signa, quae veluti cogitationum interpretes, nostri animi sensa aliis aperirent.

Nihil igitur aptius accommodatiusque ab auctore naturae excogitari potuit, quam ut internae Mentis cogitationes humanis vocibus alligarentur. Varia enim & propemodum infinita sunt, quae animus secum ipse agitare solet; ea igitur vix aut ne vix quidem alia via patefieri potuissent, nisi vocum opera adhibita, quarum sonus innumeris modis facillime flectitur.

Ideae autem non ita vocibus nexae & jugatae sunt, ut naturalis vocum sit indoles, ideas per

ſe ſignificare. Ab hominum enim pendet arbitrio, ut certis quibuſdam vocabulis haec aut illa notio ſubjiciatur. Quod quidem adeo verum eſt, ut eaedem voces apud diverſas nationes non idem ſonent, atque eaedem notiones variis vocibus exprimantur.

§. II.

De Vocum Diviſione.

JAM porro Voces non unius ſunt generis. Nam 1. Nomina prout res, quas indicant, magis minuſve patent, ita ſunt aut *univerſalia*, aut *particularia*, aut *ſingularia*: ut cuivis ex his, quae de Ideis diximus, intelligere datur. Illud hic animadvertendum eſt, bonam nimirum nominum partem, unde diverſae nationum linguae coaleſcunt, eſſe *univerſalium*: h. e. ea communem quamdam ideam ſingularibus rebus accommodatam exprimere. Quod ſane mirum forte videri poterit, cum res omnes, quibus indicandis adhibentur, ſint ſingulares.

Porro quod generalia iſthaec vocabula homines procuderint, non temere, ſed neceſſario quodam conſilio factum eſt. Si enim ſingulis rebus ſingula nomina impoſita fuiſſent, tanta foret vis vocabulorum, ut ea memoria complecti minime poſſemus. Neque haec nominum copia noſtris ſermonibus uſui eſſet aut emolumento; nam eam gigneret in dicendo obſcuritatem, ut non paucorum nominum ſenſus auditoribus lateret. Illa igitur duntaxat privatis nominibus notari

consueverunt, quae saepe singillatim nominare oportebat. Videsis Lockium (*a*).

2. Praeterea nomen aliud est συνώνυμον, quod Schola *Univocum* appellat: aliud ὁμώνυμον, sive ut Latini loqui amant *Ambiguum*, sive ut Scholae arridet *Aequivocum*: aliud tandem *Analogum*. Synonyma sunt ea, quae secundum unam eamdemque rationem pluribus tribuuntur, veluti vox *Homo*, quae eadem notione aeque Cajo, & Sempronio adscribitur.

Contra vero Homonyma plane diversa significant, veluti vox *Aries*, quae modo belluam, modo machinam bellicam, modo signum caeleste significat.

Haec autem si propter proportionem aliquam pluribus rebus accommodantur, proprio & certo vocabulo dicuntur Analoga. Ita Ex. gr. quemadmodum *Caput* pro membro principali & summo in homine usurpamus, sic montis, arboris, aliarumque rerum fastigia eodem nomine donamus. Hujusmodi sunt voces omnes, quas *translatas* Grammatici appellant.

3. Nomen vel est *Finitum*, sive *Positivum*, quod scilicet rem certam significat, ut *homo*, *arbor* &c. Vel est *Infinitum*, sive *Negans*, nimirum quod rem non determinatam exprimit, aut rem aliquam simul, atque ipsius rei negationem vel absentiam praesefert, ut *non homo*, *insipidus*, &c.

Atque haec sunt pauca e multis, quae ex Ari-

(a) *Essai Philosoph. de l' Entendement Humain Liv. III. chap. III.*

Aristotelis Lib. de Categoriis expromunt Scholastici; cetera enim ab usu remota sunt.

§. III.

De recto Vocum Usu.

Ejusmodi potissimum usui verba accommodata sunt, ut quibus de rebus velimus, inter nos communicemus. Eo igitur sermo intendit, ut eas in auditorum animis ideas verba excitent, quae loquentis animo obversantur. Porro cum ideas inter & vocabula nulla intercedat naturalis affinitas, sed ex hominum arbitrio proprium sensum accipiant: his sane vitio vertendum est, si sermo interdum obscuritate laboret.

Ut igitur pro eo, ac Philosophos praesertim decet; recte vocibus utamur, aliquot hic proferemus canones, ad quorum normam sermones nostros instituemus.

Et I. quidem: Eas duntaxat voces usurpare licet, quibus certae cujusdam ideae notionem destinamus. Si enim verborum nulla est vis ac ratio, inania omnino erunt perinde, atque avium citharaeque cantus.

In hoc autem peccare facile solemus, quia a teneris, ut ajunt, unguiculis voces proferre adsuevimus, ut significaremus quae aut obscurissime, aut nullo pacto noveramus. Hujusmodi sunt, ut quaedam attingam, *Casus*, *Fortunae*, *Fati* &c. nomina, quae non modo inter rerum caussas retulere, verum etiam veluti numen aliquod plerique e veteribus Ethnicis coluerunt. Ita inanes

quoque voces olim obtrudebat Epicurus, cum Deos *quasi corpus*, & *quasi sanguinem* habere comminiscebatur; quod ei exprobrat Cotta apud Ciceronem (*a*).

II. Obscurae aut confusae Ideae verbis adjungendae non sunt. Neque enim alio e fonte major intelligendi sermonis difficultas proficiscitur, quam e vocibus, quibus obscura, aut confusa subjicitur sententia.

Hoc quidem vitio laborant Scholastici, qui res vagis vocibus definiunt, & proprietates secum pugnantes simul admiscent: veluti cum Motum ajunt esse *actum Entis in potentia quatenus in potentia*: aut cum Naturae *Vacui horrorem*, *antipathiam*, *sympathiam* adscribunt; aut cum edisserunt *Naturam appetere formas perfectiores*: *possibilem esse materiam spiritualem*: atque id genus alia.

III. Quare ad obscuritatem fugiendam a vocibus ambiguis accurate abstinere debemus. Cum illae in duas pluresve sententias accipi possint, nisi earum vis facile dignoscatur, obscuram reddunt orationem.

Quod *si res suum nomen*, & *proprium vocabulum non habet . . . necessitas cogit*, *quod non habeas*, *aliunde sumere*, ut ait Tullius (*b*). Verum hujusmodi translationes *prudentes* esse oportet, ut idem monet (*c*), *ut cum ratione in consimilem rem transeat*: atque ita translatae voces ad-

(a) *De Nat. Deor. Lib. I. cap. XXVII.*
(b) *De Orat. Lib. III. cap. XL.*
(c) Seu *Auctor ad Heren. Lib. III. cap. XXXIV.*

adhibendae, ut ex orationis contextu facile illarum ſenſus eruatur.

IV. Iiſdem vocibus eaedem ſemper notiones ſubjiciantur. Perverſe enim vocibus abutimur, ſi haud nobis conſtantes iiſdem verbis modo hanc, modo illam ſententiam adſcribimus. Cujus quidem vitii unos fere Mathematicos puros eſſe fatentur omnes.

V. Studioſe cavendum eſt, ne dedita opera obſcuritatem affectemus. Peccatum hoc admittunt, qui uſitatis vocabulis novos ſenſus affingunt, alios id praemonere negligentes: qui nova inducunt, ea non definientes: qui eo ſtilo utuntur, ut ipſorum oratio nullas certas ideas, ſed veluti quaedam aenigmata referre videatur. De hoc autem praeter alios communi ſententia accuſantur Scholaſtici, qui tot tamque inſolentibus vocabulis res Philoſophicas implicuerunt, ut eorum ſcripta Saliaris Carminis vincant obſcuritatem. Ejuſmodi ſunt *Materia prima*, *Formae Subſtantiales*, *Species Intentionales*, ἐνδελέχεια, ſive ἐντελέχεια, & alia hujus generis ſexcenta.

§. IV.

De Arte Hermeneutica.

PHiloſophi etiam intereſt, ut alios probe intelligat, praeſertim cum veritas non una meditationis via inveſtigetur, ſed ex aliorum quoque libris eruatur. Propterea recenſitis regulis eas adnectere abs re non erit, quarum ope aliorum mentem aſſequi recte poſſimus.

Au-

Antequam ad alicujus libri lectionem accedamus, multa nobis comperta sint oportet. 1. Linguam, qua ab auctore exaratus est, omnino callere debemus; quaecunque enim elaboratissimae versiones illius mentem haud perfecte aperire possunt.

2. Curandum est, ut auctoris mores, tum etiam consuetudines, & religionem Civitatis, in qua ipse floruit, in explorato habeamus; cum sibi simillima, & patriae moribus affinia quisque scribat, ac loquatur.

3. Diligenter aetas, qua vixit auctor, inquiratur, ut eo sensu vocabula accipiamus, quo nimirum tunc temporis usurpari in more positum fuit. Nihil enim frequentiores, quam vocabula, vicissitudines subire videmus, quae pro temporum varietate varia notione donari consueverunt.

Jam vero postquam haec nobis constiterunt: 1. talem animum ad librum legendum appellamus oportet, ut quibusque praejudiciis ille liber sit & vacuus. Secus enim ea illic videre videbimur, quae ne cogitavit quidem, nedum scripsit auctor.

2. Verba sensu usitato & trito sunt accipienda, nisi vel absurdum, aut nullum sensum reddant, vel eam exprimant sententiam, quae adversa fronte pugnet cum auctoris instituto. Recta enim ratio postulat, ut sanae mentis hominem neque inanibus vocibus delectari, neque sibi non constare existimemus.

3. Cavendum est, ne Scriptori tribuatur sensus, quem metaphoricae locutiones primo ostendunt; siquidem in metaphoris sensus verborum

ad

ad alia ſignificanda transfertur. Ut autem metaphoricas locutiones facile unuſquiſque dignoſcere poſſit, quatuor, quas Critici recenſent regulas, adhibendae ſunt.

Prima eſt. Cum auctor prolixa oratione rem eamdem iisdem fere verbis inculcat, metaphorice loqui cenſendus non eſt. Metaphoricae enim locutiones quodam ſenſu falſae ſunt; eſt igitur praeter rei naturam, ut ſint continuae. Quis enim dixerit auctorem perpetuis atque importunis metaphoris orationem ſuam conſulto obſcuraſſe, ut lectores perbelle luderet, aut incautos deciperet?

Altera. Locutiones, ad quas probandas auctor animum intendit, non ſunt metaphoricae. Nam illae propria ſententia acceptae falſae ſunt, quippe aliarum vocum vices gerunt: incaſſum igitur niteretur, qui ſecundum proximum ſenſum, cujus comperta falſitas eſt, illarum veritatem oſtenderet.

Tertia. Si ita aliquid adſerat auctor, ut admirationi, aut dubitationi locum eſſe in ſuo animo oſtendat, illud non metaphorice dictum eſſe accipiendum eſt. Metaphorae enim nec dubitare, nec mirari ſinunt.

Quarta tandem. Verba uſitato ſenſu rejectis metaphoris ſunt accipienda; 1. ſi familiari ac ſimplici, aut hiſtorico dicendi genere utatur auctor; ab eo enim abhorrent metaphorae. 2. Si auctor homines alloquatur, quorum captum facile ſuperant metaphorae. Nemo enim ſanae mentis ita loquitur, ut intelligi nolit.

Quod ſi quid ſubobſcure, aut ambiguum oc-

cur-

currat, non uno ſane pacto illius interpretationi lux afferri poterit. 1. Tum ſuperiora tum inferiora conſulantur, ut id, quod quaeritur, perſpicuum fiat. Quippe haud raro fieri ſolet, ut ſententia aliqua, ſi e reliquo orationis ambitu avulſa ſeparatim conſideretur, obſcura ſit: at ſermonis conſiderato contextu perſpicua evadat.

2. Praeterea loca, quae vocant *parallela*, accurate perpendantur., h. e. ubi eadem verba occurrunt, ſi quidem de alicujus vocis ſententia agatur: aut ubi de eadem re differit auctor. Forte enim quod illic ſuboſcure tradidit, alibi ſive dedita opera ſive fortuito nonnulla addens clariori methodo pertractat.


3. Juvat etiam aliorum interpretationes in eumdem locum, ſi quae ſint, conſulere: atque eos aliis praeferre, qui vel diſcipuli, vel amici, vel coaevi auctori fuerint. Ubi quoque illud advertatur ceteris paribus ei adhaerendum eſſe, qui auctoris linguam probe calleat, atque in eo genere, de quo agitur, optime verſatus ſit.

4. Perquamutile quoque eſt in alicujus propoſitionis ſententia intelligenda, ut ex *praedicati* ſignificatione *ſubjecti* notionem eruamus: vel contra e *ſubjecti* ſententia ſenſum *praedicati* colligamus. Quod quidem in vocibus ambiguis, & ἅπαξ λεγομένοις (*quae ſemel occurrunt*) definiendis locum potiſſimum habet; earum enim notionem ex adjectivis, aut verbis, quibuſcum copulantur, facile inveſtigare licet.

LO-

LOGICAE ELEMENTORUM

PARS II.



CAPUT I.

De Judicii, & Propositionis natura.

POstquam varias rerum ideas, ac res ipsas in ideis Mens percepit, alteram alteri comparat; & quemadmodum eas convenire, aut discrepare inter se animadvertit, ita illas aut adfirmando connectit, aut negando disjungit: in quo quidem *judicare* Mens dicitur. Itaque definiri potest Judicium, *Perceptio relationis, quae inter duas pluresve ideas intercedit.*

Quamobrem cum Mens judicat, tria praestat: primo sibi quasdam ideas praesentes sistit, easque simul confert: tum convenientiae aut repugnantiae relationem inter collatas ideas percipit: ac tandem perceptae relationi adquiescit.

Hujusmodi autem assensus, quo Mens perceptam adprobat relationem, ita est in Mentis potestate, ut illum sustinere tamdiu possit; donec ideas accuratius expendat. Verum id locum non habet, cum ideae ea perspicuitate praeditae sunt, ut extemplo mutuam ipsarum relationem percipiamus. Veluti sunt veritates Mathematicae, quae *Axiomata* vocantur.

Jam

Jam vero haec Mentis actio si verbis exprimitur, Latinis *Enunciatio*, Graecis Ἀπόφανσις, vulgo tamen *Propositio* dicitur. Ea autem differt a Judicio perinde, atque vocabulum ab ipsa vocabuli sententia. Est autem Propositio *oratio*, *quae aliquid de aliquo enunciat ajendo aut negando.*

In qualibet igitur Propositione tria comprehenduntur veluti totidem partes, unde componitur, *Subjectum* nimirum, *Praedicatum*, & *Verbum*. Subjectum est id, de quo aliquid enunciatur: Praedicatum, quod enunciatur de aliquo: Verbo denique Praedicatum Subjecto convenire aut repugnare declaratur. *Copulam* Scholae vocitant; ut quae Praedicatum cum subjecto copulat: quemadmodum Subjectum & Praedicatum *Terminos* vocant, seu *Extrema*; quia his Propositio utrinque clauditur ac terminatur.

Verum quamvis tria haec in Propositione concurrant necessum est, recte tamen aut duabus concludi, aut una voce absolvi potest. Verba enim *adjectiva* per *substantivum* in suas partes solvuntur, & pronomina reticeri possunt, utpote in verbis comprehensa: hinc igitur fit, ut binae voces, aut una duntaxat Propositionem constituant. Velut si dicam, *Mens cogitat*, quod tantumdem valet, ac *Mens est cogitans*: aut *Cogito*, *Disputo*; perinde enim sunt, atque *Ego sum cogitans*, *Ego sum disputans*. Quare celebre illud Caesaris *Veni, vidi, vici*, tres integras complectitur Propositiones.

CA-

CAPUT II.

De Propositionis Divisione.

RAtione partium, unde coalescit, & proprietatum, quibus afficitur, multifariam dividi solet Propositio. Innumeras species, prout eam varie considerant, recensent Scholastici, qui in hac parte multi sunt. Nobis tamen ut modum adhibeamus, suadet vetus adagium, *Ne quid nimis*.

§. I.

De Propositionibus Simplicibus, Complexis, Compositis, & de Compositarum vario genere.

SI Praedicatum & Subjectum, quae Propositionis *materiam* appellant Scholae, inspiciamus; plures distingui possunt Propositionum species. Nam 1. si illa unico tantum Praedicato & Subjecto constat, *Simplex* appellatur: ut, *Corpus est divisibile*.

2. *Complexa* erit Propositio, si aliam Propositionem, quae *Incidens* dicitur, complectatur: idque vel ὁριστικῶς, sive *determinationis*, vel. ἐξηγητικῶς, sive *explicationis* atque ornatus gratia. Ita *Triangula, quae sunt isoscelia, angulos ad basim aequales habent*. Cujus complexae propo-

ſitionis incidens ſubjectum determinat. Explicationis vero cauſſa incidens adjicitur in ſequenti propoſitione: *Homines, qui ſunt mortales, immortalitatis ſpe tenentur.*

3. Quod ſi plura Subjecta aut Praedicata in Propoſitione occurrant, ea erit *Compoſita*: velut: *Odium & amor ſunt utilia & noxia.*

Jam vero Propoſitionum Compoſitio non uno pacto fieri poteſt; vel enim diſertis verbis exprimitur, vel latet. Priores *Explicitae*, poſteriores *Implicitae* ſeu *Exponibiles* apud Dialecticos audiunt.

Compoſitio igitur aperta eſt & manifeſta, cum Propoſitio eſt 1. *Conjuncta*, in qua nimirum plura Praedicata & Subjecta *copulativis* particulis ſive expreſſis, ſive tacitis conjunguntur. Talis eſt illa apud Horatium (*a*):

Non domus aut fundus, non aeris acervus & auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas.

2. *Disjuncta*, quae ſcilicet e ſimplicibus Propoſitionibus per disjunctivas particulas ſeparatis coaleſcit. Ita apud Eumdem (*b*),

Imperat, aut ſervit collecta pecunia cuique.

3. *Hypothetica*, h. e. cujus ſimplices Propoſitiones hypotheticis particulis copulantur: ubi quidem Propoſitio, quae ab hujuſmodi particulis regitur, dicitur *antecedens*, altera *conſequens*: licet

(a) *I. Epiſt. II.* 47.
(b) *Ibid. Epiſt. X.* 47.

cet interdum ordo sit praeposterus, ut in illo Ejusdem (*a*):

Hoc opus, hoc studium parvi properemus & ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.

4. *Caussalis*, cujus nimirum partes *caussalibus* conjunctionibus colligantur. Ita illa apud Eumd. (*b*):

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

5. *Discreta*, quae per conjunctiones *adversativas* diversa exprimit. Sicut Idem ait (*c*):

Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

6. Tandem *Relata*, cujus una pars refertur ad aliam. Ita Tullius: *Tantum damni feci, quanti quaeque res amissae valebant* (*d*).

Porro nonnunquam Compositio abdita est, & paullo obscurior: eaque quinque Propositionum classes constituit, *Exceptivam*, *Exclusivam*, *Comparativam*, *Inceptivam*, & *Desitivam*.

Exceptiva est, quae aliquid de re quapiam ita adfirmat, ut simul partem aliquam de ea excipiat. Velut, *Omnia sunt mortalia praeter spiritus*: quae sane Propositio duas complectitur, tum *Spiritus sunt immortales*, tum *cetera mortalia*.

Exclusiva dicitur, quae aut omne aliud Praedicatum ab eodem Subjecto, aut omne aliud Subjectum ab eodem Praedicato excludit. Haec Pro-

(a) *Ib. Epist. III.* 28.
(b) *Ib. Epist. II.* 32.
(c) *Ib. Epist. XI.* 27.
(d) *De Fin. Lib. V. cap. XV.*

pos. *Oculus videt tantum*, ita oculo visionem adtribuit, ut illum neque audire, neque odorari &c. posse doceat. Contra haec altera, *Deus duntaxat est aeternus*, ita Deo aeternitatem adscribit, ut aliis convenire neget. In his autem compositionem latere nemo non videt.

Comparativa appellatur, quae inter duas pluresve res comparationem instituit: ut, *Achilles Hectore fortior fuit*: ubi quidem duo adfirmantur, *Achillem* atque *Hectorem fortes fuisse*, tum *Achillem ipso Hectore fortiorem*.

In Inceptivis, & Desitivis, quae nimirum aliquid incipere, aut desinere declarant, duo Judicia contineri clare patet. Unum enim statum respicit, in quo res antea erant, alterum vero, quem posthac acceperunt.

§. II.

De Propositionibus Universalibus, Particularibus, & Singularibus.

EX ampliori aut minori Subjecti significatione *Universales*, *Particulares*, & *Singulares* Propositiones oriuntur. In quo quidem sita est Propositionis *quantitas*, quam Scholae appellant. Cum enim subjectum qua late patet accipitur, universalis est propositio: veluti: *Omnes homines in Adam peccaverunt*. Hinc quaecunque subjectum veluti genus exhibent singulis formis commune, universalem efficiunt propositionem. Quod si subjecti sententia minus patet, propositio particularis dicitur, ut: *Aliqui homines sapiunt*.

Vo-

Voces igitur *aliqui*, *nonnulli* &c. quae subjecti extensionem indeterminate restringunt, particularem constituunt propositionem. Tandem cum subjectum unum est ac singulare, Propositio singularis appellatur.

Quod si vero Subjectum nullo apposito adjuncto determinetur, ea *indefinita* est Propositio: ut cum ajunt, *Senex est morosus*. Haec autem talis esse censebitur, qualem sensum edit. Particularis nimirum, aut universalis erit perinde, atque recte habet, ac sententiam ejus, qui dicit, proprie exprimit.

Jam porro quod ad Universales Propositiones attinet, advertere juvat 1. eas interdum non ita vagas esse, ut nullam unquam exceptionem admittant; cujusmodi est illa apud Horatium (*a*)

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Injussi nunquam desistant.

Neque enim omnes omnino cantores hoc vitio laborant. Hujusmodi Propositionem *Universalem moralem* nuncupant Scholae, ut eam distinguant a *Metaphysica*, quae nulli subjicitur exceptioni, velut: *Omnis circulus radios habet aequales.*

2. Nonnunquam Propositio Universalis non singulas respicit ejusdem generis partes, sed omnes duntaxat illius species. Veluti cum dicitur, *omnia animantia in Arca Noachica Diluvii aquas evasisse.*

3. Tandem nonnullae sunt Propositiones, quae Universalis speciem mentiuntur, licet reapse singula-

(a) *I. Satyr. III.*

gulares censendae sunt ; id quod in nominibus *Civitas*, *Exercitus*, aliisque, quae *collective* usurpantur, usuvenire solet.

§. III.

De Propositionibus Affirmantibus, & Negantibus.

OMnis Propositio aut ait, aut negat: atque id ad ipsius *qualitatem* pertinere ait Schola. Ait, si Praedicatum adjungitur Subjecto ; negat vero, si removetur. Prior dicitur *Ajens*, & vulgo *Adfirmans*; posterior *Negans*.

Porro adcurate Propositionis tum adfirmantis, tum negantis naturam perpendere juvat. Duo autem in antecessum advertenda sunt. 1. In qualibet idea *comprehensionem* ab *extensione* distinguere oportet. Ideae comprehensionem appello quidquid proprietatum in se illa complectitur. Puta *trianguli* idea comprehendit spatium, tria latera, tres angulos, angulorum duobus rectis aequalitatem &c. Extensionem vero intelligo id omne, cui ipsa idea communis est. Ita trianguli extensio tantum patet, quot trianguli species sunt. 2. Notandum est praedicati notionem latius patere, quam subjecti sententiam ; pluribus enim illud adscribi potest.

Jam vero Propositionis adfirmantis ea est indoles, ut praedicatum subjecto adnectatur, juxta ac si unum idemque essent. Quantum igitur in praedicati idea comprehenditur, totum id subjecto tribuitur. Si quid enim praedicati idea comple-

plecteretur, quod subjecti notioni non inesset: removere potius, quam praedicatum subjecto adnectere oporteret. *Triangulum* esse *figuram* ajo; triangulo igitur adscribo quidquid figurae notio continet.

Verum necesse non est, ut subjectum & praedicatum eamdem notionis latitudinem habeant. Praedicatum enim si latius pateat, quam subjectum; hujus veluti modulo illud metiamur oportet. Ita *Triangulum* esse *Figuram* ajo, licet non omnia, ad quae *Figura* extenditur, in *Trianguli* idea locum obtineant. Propositionis igitur adfirmantis subjectum universam praedicati notionem, non autem illius latitudinem comprehendit.

Contra vero Propositionis Negantis natura in eo sita est, ut res quaepiam eadem cum alia esse negetur. Atqui id verum est, quamvis aliquid secum commune habeant: dummodo quod uni proprium est, totum id alteri desit. Recte igitur negatur *triangulum* esse *quadrilaterum*, quamvis in ratione *Figurae* conveniant. Unde & illud proficiscitur, quod in Propositione negante praedicatum qua late patet divellitur a subjecto. Nam si in praedicati extensione includeretur subjectum, huic illud non repugnaret. Cum igitur *triangulum quadrilaterum* esse nego, tum integram *quadrilateri* notionem, tum quidquid *quadrilaterum* est ab illo sejungo.

§. IV.

De Propositionibus Oppositis.

INter alias Propositionum proprietates est earum *Oppositio*, quae est pugna duarum Propositionum, eodem constantium praedicato & subjecto. Haec autem repugnantia fit vel secundum *qualitatem*, vel *quantitatem*, vel utramque.

Propositiones, quae qualitate dissident, at quantitate conveniunt, si sunt universales, dicuntur *contrariae*, ut *Omnis homo est liber*: *Nullus homo est liber*. Quod si fuerint particulares, vocantur *subcontrariae*, sive *contrariae particulares*, ut *Aliquis homo est justus* : *Aliquis homo non est justus*.

Qua[illegible] vero qualitate consentiunt, at quantitate discrepant, *subalternas* appellat Schola, nonnulli vero *consequentes*, ut *Omnis homo est liber*: *Aliquis homo est liber*.

Tandem *contradictoriae* appellantur, quae & qualitate, & quantitate pugnant : velut hae, *Omnis homo est liber*: *Aliquis homo non est liber*. Verum vulgo recepta consuetudine eas propositiones *Contradictorias* dicimus, quarum altera ait quid, altera negat.

Multa hic addere solent Dialectici de Propositionum ἰσοδυναμίᾳ, quam *Aequipollentiam* vocant, & de earumdem *Conversione* : per hanc subjectum & praedicatum incolumi Propositionis qualitate reciprocantur; per illam autem Propositiones oppositae conciliantur. Verum his olim

fuit

fuit honos, cum Sophistarum disputationes in pretio erant; nunc autem ea negligere, quam vel leviter attingere satius esse ducitur.

CAPUT III.

De Propositionum Veritate & Falsitate.

CUm ea sit Propositionis natura, ut Praedicatum Subjecto aut adnectat, aut amoveat; inde oritur, ut ipsa vera sit aut falsa. Si enim conjungenda componit, & sejungenda separat, vera erit Propositio; sin contra, falsa erit.

Ut igitur Propositionis alicujus veritatem aut falsitatem deprehendamus, tria servemus oportet: primo ut quae Propositio enuntiat perspecta habeamus: deinde ut ea invicem conferamus: ac tandem utrum ea aliquam vel nullam relationem inter se habeant, expendamus. Id autem facile in Propositionibus simplicibus deprehendere licet: at paullo difficilius est Propositionum compositarum veritatem examinare, quippe quae plures ideas complectuntur.

Quamobrem 1. quod ad Complexas attinet, advertatur Propositiones *incidentes*, quae ad majorem quamdam explicationem adhibentur, nihil principalium veritati, aut falsitati officere; quae vero rem definiunt, tam arcte cum illis colligari, ut earum veritas & falsitas in totam redundet Propositionem.

2. In Propositionibus conjunctis partes omnes,

e quibus constant, verae sint oportet, ut ipsae verae esse dicantur.

3. Disjunctae Propositionis veritas in eo sita est, cum inter partes, unde coalescit, nihil medium est.

4. In Hypotheticis solius consequentiae veritas spectatur, quae potest recto stare talo, etiamsi utraque pars falsa sit.

5. Ut Caussales sint verae, oportet ut id, quod exprimitur, vera sit alterius caussa.

6. Discretae veritatem adfert partium oppositio; nam si partes non sint oppositae, licet verae sint, Propositio tamen aut falsa, aut saltem inepta erit.

7. Relatae Propositionis veritas pendet ex recta relatione; ita quidem ut si haec falsa aut inepta statuatur, etiam illa falsa sit aut inepta.

8. Tandem Propositionum, quas *Exponibiles* a Schola nuncupari diximus, Exclusivae quidem & Exceptivae verae censendae sunt, si quae a Praedicato aut Subjecto excluduntur, recte excipiantur. Comparativae autem tum demum verae sunt, cum ea, inter quae comparatio instituitur, praedicatum, in quo comparantur, habeant commune.

Quae de Propositionum oppositarum veritate & falsitate multis prosequuntur Dialectici, libenter omittimus, quippe cum ea non sint ex usu. Nonnulla potius subnectere par est, quae ad variorum sensuum veluti latebras in Propositionibus detegendas tradi solent: ea potissimum de caussa, ut diversae *Distinctionum* formulae Scholis usitatae addiscantur.

Et

Et 1. quidem Propositio vera aut falsa esse potest vel ὑλικῶς, h. e. *materialiter*, cum scilicet Praedicatum Subjecti quidem vocabulo, non autem rei convenit: vel εἰδικῶς, h. e. *formaliter*, cum nimirum de re, quae per vocem exprimitur, Praedicatum enunciatur. Hinc in illo apud Senecam (a) syllogismo: *Mus syllaba est; mus autem caseum rodit; syllaba ergo caseum rodit:* prima Propositio sensu materiali, altera autem sensu formali vera est.

2. Vera nonnunquam aut falsa est Propositio sensu *litterali*, qui nimirum proxime verbis exprimitur, ut illud in Evang. *Ego & Pater unum sumus*, vel sensu *metaphorico*; cum voces translate accipiuntur: veluti, *Ego sum vitis, vos palmites*.

3. Vera esse aut falsa dicitur Propositio *sensu diviso*, cum Praedicatum non eodem manente Subjecti statu ipsi convenit: aut *sensu composito*, cum illud Subjecto non repugnat, dum idem perseveret. Ver. gr. haec Propositio, *Sedens stare non potest*, vera est sensu composito, at falsa sensu diviso.


5. Tandem his addere licet sensum *collectivum*, *distributivum*, *disjunctivum*, prout nimirum Propositionis voces hoc vel illo pacto usurpantur: tum sensum *relativum*, cum scilicet Praedicatum Subjecto convenit, quatenus ad aliud referatur.

LO-

(a) *Epist. XLVIII.*

LOGICAE ELEMENTORUM

PARS III.



CAPUT I.

De Natura Ratiocinationis.

QUae a nobis comparantur Ideae non omnes ea perſpicuitate donantur, ut mutua, quae inter illas intercedit relatio, facile & prima fronte dignoſcatur. Ad hujuſmodi igitur relationem aperiendam clariorem ideam inveſtigamus, cui alias comparantes earum convenientiam aut repugnantiam colligimus. Ideas enim, quas diſcutiendas aggredimur, ſi cum hac tertia convenire percipimus, eas componendas eſſe ducimus. Sin altera quidem congruit, altera vero non item, aut utraque ab illa diſſentit, eas ſecum repugnare judicamus.

Quamobrem Ratiocinationem recte definire poſſumus Intellectus actum eſſe, quo ipſe inſtituta duarum idearum comparatione cum tertia, jungendae iſtae ſint, an ſeparandae, cognoſcit. Ex qua quidem idearum comparatione tria judicia a Mente efformantur, cum aliud ex alio ratiocinatione deducit: quorum primum eſt, quando Praedicatum cum tertia adſcita idea confertur: alterum, quo eidem Subjectum comparatur: poſtremum vero, quo Subjecti cum praedicato con-

ne-

nexio colligitur. Quamvis simplex atque unicus sit Mentis actus, quo nimirum ex eo, quod duas ideas cum tertia convenire deprehendit, earum percipit nexum, & relationem.

Ita si Tellurem conglobatam esse deprehendere nequeam, continuo Telluris & rotunditatis ideas expendam, atque ita ex perceptis rem, quam non percipio, deduco. Experimento novi corpora globosa, si luminari, quod ipsis majus est, objiciantur, conicam umbram projicere. Sic igitur comparationem inter has ideas instituens mecum agito. *Quae corpora majori luminari objecta finitam umbram in coni speciem projiciunt, ea sphaerica sunt. Atqui in Eclipsibus Lunaribus Terrae umbra hujusmodi figuram praeseferre deprehenditur. Globosa igitur est Telluris superficies.*

CAPUT II.

De vario argumentandi genere.

§. I.

De Syllogismo.

PRimum Syllogismo locum adscribimus, quippe cum perfecte Ratiocinationi respondeat, atque ad illum reliquae argumentationum species, quas paullo infra recensebimus, facile revocentur. Est autem Syllogismus argumentatio quaedam tribus Propositionibus composita inter

se

se eo pacto connexis, ut postrema ex prioribus proficiscatur.

Jam vero harum Propositionum prima πρότασις, altera λῆμμα ab Aristotele, a Latinis vero *Propositio* & *Assumtio*, tertia Gr. συμπέρασμα, Lat. *Conclusio* dicitur. Verum vulgo in Scholis prima *Propositio major*, secunda *Propositio minor*, postrema *Consequentia* appellari consuevit. Major autem dicitur, non quia principem locum obtinet, sed propterea quod *majorem terminum*, Praedicatum scilicet Conclusionis complectitur: quemadmodum altera ob *minorem terminum*, h. e. Subjectum Conclusionis, quod continet, Minor nominatur. Atque hae Propositiones *praemissarum* etiam nomine donantur apud Scholas. Inventum autem illud seu *argumentum*, cum quo veluti cum aliqua norma Praedicatum & Subjectum Conclusionis comparantur, *medium terminum* nuncupant Scholastici.

Syllogismus itaque tres omnino *terminos* comprehendit: quippe duarum Propositionum altera Praedicatum, altera Subjectum cum medio termino comparat: Conclusio vero novum terminum non invehit, sed superiora connectit.

In Syllogismo Scholastici *materiam* & *formam* considerant. Materiam quidem appellant tum terminos & medium, tum Propositiones inde conflatas; formam vero legitimam Conclusionis illationem.

§. II.

§. II.

De Syllogismi Figuris & Modis.

Syllogismi *Figura* Scholasticis dicitur apta medii cum duobus terminis ad concludendum colligatio. Cumque medius terminus quatuor modis connecti cum illis possit, quatuor Syllogisticae figurae emergunt. Medius enim terminus 1. subjectum est in Propositione majore, & praedicatum in minore: 2. praedicatum in utraque: 3. subjectum in utraque: 4. praedicatum in majori, & subjectum in minori Propositione. Ultimam hanc figuram, quae *Galenica* vulgo dicitur, ab Aristotele repudiatam ferunt. De ea tamen legendus Arnaldus (*a*).

Modum autem Syllogismi appellant praemissarum connexionem secundum quantitatem & qualitatem. Hujusmodi quatuor & sexaginta recensent, prout Propositiones adfirmantes & negantes, universales ac particulares varie complicari possunt. At undeviginti duntaxat ceteris posthabitis, quippe inutilibus, tradi solent in Scholis. Eos vulgo insulsis aeque ac horridis versiculis comprehensos proferunt Scholae: in quibus vocalium duntaxat *A E I O* potestas attenditur. Scholasticis enim *A* propositionem universalem adfirmantem, *E* vero negantem exprimit: *I* particularem adfirmantem, *O* negantem denotat.

Ab hujusmodi Figuris & Modis recensendis con-

(a) *L'Art de Penser Part. III. Chap. IV.*

consulto abstinemus, atque ea tantum a limine, ut ajunt, salutasse satis esse duximus: *ne*, ut apposite ad hanc rem ait Seneca, (*a*) *verba nobis dentur*, & *aliquid esse in illis magni ac secreti boni judicemus*. Haec sane laborem quidem docendi ac discendi augent, at nullius fere sunt usus. Nemo unus enim, ne illis quidem exceptis, qui in penitioris Scholasticae Dialecticae penetralibus enutriti nil nisi Scholasticum sapiunt; nullus, inquam, dum ratiocinatur eo animum intendit, ut in *BARBARA* potius, quam *FRISESOMORUM* Syllogismos procudat.

§. III.

De Syllogismi Vitiis.

Vitium in Syllogismo subesse potest ratione & materiae & formae. Peccat Syllogismus in materia, quoties Propositionum, unde componitur, aliqua falsa sit. Quare quae superius de veritate Propositionum disseruimus recolantur.

Ratione autem formae claudicat Syllogismus, si Conclusio ex praemissis non consequatur. In hanc rem exempla proferre supersedemus; ea enim prosequi dabitur, cum de Fallaciis deinde disputabimus.

§.IV.

(a) *Epist*. L.

§. IV.

De Veri Syllogismi fundamento.

ARistoteles ceterique veteres Dialectici plures regulas tradidere, quibus singulae Syllogismorum Figurae, singuli eorumdem Modi efformarentur, ita quidem ut nullus in iis falsitati locus esse posset. Verum haec inventa esse acutius, & dicta subtilius jamdudum viri docti adnotarunt. Eapropter ne tanta canonum copia adolescentum memoria fatigetur, generale quoddam & diligenter exploratum principium, quod Cl. Arnaldo (a) acceptum referimus, hîc proponimus: ad quod, veluti ad lydium lapidem, cujuscunque generis Syllogismos, num recte procedant, an non, explorare possimus.

Hic porro Canon in ipsa Syllogismi natura innititur. Nimirum illuc intendit Syllogismus, ut quaestionis alicujus veritatem demonstret. Dicitur autem *quaestio* Propositio demonstranda, quae Conclúsionis locum in Syllogismo occupat. Porro cum quaestionem aliquam probandam aggredimur, in eo toti sumus, ut clariorem propositionem, quae illam complectatur, investigemus. Eam autem continere nequit eisdem verbis, secus enim nihil lucis quaestioni afferret; quippe & ipsa in quaestionem veniret. Quamobrem aliam adjungimus propositionem, quae in prio-

(a) *L'Art de penser Part. III. chap. X.*

priori propositione quaestionem comprehendi planum faciat.

Exemplum accipite. Si demonstrandum suscipiam *ex Deo solum suam beatitudinem hominem haurire*, id efficiam clariori propositione, quae propositam quaestionem complectatur: nimirum si dicam *beatum esse, qui immenso bono fruitur*: tum alteram adjungam, unde in adducta propositione quaestio contineri ostenditur: scilicet si subnectam, *Deum esse immensum bonum*. Ita igitur ratiocinationem expediam:

Qui immenso bono fruitur, beatus est:
Atqui solus Deus immensam bonitatem complectitur.
Ex Deo igitur duntaxat suam homo haurit beatitudinem.

Sane patet hujus Syllogismi Conclusionem in majori Propositione comprehendi, idque in minori clarius aperiri, quippe quae *immensam Deum complecti bonitatem* demonstrat.

Atque id, quod in Syllogismis *adfirmantibus*, quorum scilicet Conclusiones ajunt, locum habet, obtinet etiam in *negantibus*, h. e. quorum Conclusiones negant. In his enim Syllogismis praemissarum alterutra negat, neque negatio nisi in negatione includi potest. Conclusionem igitur in ea Propositione, quae negat, comprehendi debere clare patet. Velut si hoc Syllogismo ostendam avaros non esse beatos:

Ille beatus est, qui sorte sua contentus vivit:
Nullus autem avarus sorte sua contentus est;
Nullus igitur avarus beatus est.

Hic procul dubio apparet majorem Propositionem

nem in medio ponere Conclusionem, quae in minori veluti latitabat. Cum enim nego *omnem, qui sit avarus, esse contentum*: non modo *avarum contentum esse*, sed & *beatum* nego; quippe *beatus*, nisi *qui sorte sua contentus vivat*, esse nequit.

Ex his porro patet eam esse legitimi Syllogismi indolem, ut Conclusio in praemissis comprehendatur. Syllogismus igitur tum demum recte consistet, cum Propositionum altera Conclusionem complectitur, altera vero in illa comprehendi explicat. Nimirum, ut Scholarum more loquamur, praemissarum altera *comprehensiva*, altera *explicativa* sit oportet.

At inquies: qua arte, quibusve regulis Conclusionem in praemissis inclusam assequar? Nimirum eâ perspicientiâ, qua quis ideae comprehensionem atque extensionem, de qua supra diximus, deprehendit. Haec enim duo perspecta sint oportet: 1. quaenam in subjecti, & praedicati ideis proprietates comprehendantur: 2. quaenam in eadem idea secum conveniant. Quae quidem cum cognoveris, facile assequi licebit, num Conclusio in praemissis contineatur, nec ne. Id potius igitur attendendum est, ut in ideis effingendis, discutiendisque, earumdem claritati ac distinctioni quam maxime consulamus. Tum etiam in eo studium collocemus, ut subjecti ac praedicati ideas conferentes, in quo secum conveniant, aut inter se dissentiant, inquiramus. Qui ea mentis acie instructus est, ut id perspiciat, is syllogismi veritatem vel ipsis Scholarum regulis destitutus plane deprehendet. At qui nover-

cam naturam habuerit, nec quae diximus, nec ipsos Scholasticos Canones intelliget (a).

In-

(a) *Non abs re esse duco hic apponere, quae ad hanc rem apposite tradit Augustinus* de Doctr. Christ. lib. II. Cap. XXXVII. *Is enim cum Dialecticae usum atque utilitatem prosequeretur, praeceptorum, quae potissimum ratiocinationem respiciunt, disciplinam ut plurimum inutilem scita comparatione demonstrat.* Illa vero (*Dialectica*) conclusionum, & definitionum, & distributionum plurimum intellectorem adjuvat: tantum absit error, quo videntur homines sibi ipsam beatae vitae veritatem didicisse, cum ista didicerint. Quamquam plerumque accidat, ut facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam talium praeceptorum nodosissimas & spinosissimas disciplinas. Tamquam si quispiam dare, volens praecepta ambulandi moneat, non esse levandum posteriorem pedem, nisi cum posueris priorem, deinde minutatim quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat movere describat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari potest: sed facilius homines haec faciendo ambulant, quam animadvertunt cum faciunt, aut intelligunt, cum audiunt. Qui autem ambulare non possunt, multo minus ea curant, quae nec experiendo possunt attendere. Ita plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quam praecepta ejus capit: tardus autem non eam videt, sed multo minus quod de illa praecipitur: magisque in his omnibus ipsa specta-

Inutilia igitur prorſus ducimus univerſa argumentationum praecepta, quae vulgo tradi in Scholis conſueverunt. Quamvis enim illa uſque ad nauſeam inculcentur, nunquam legitime ratiocinandi facultatem Menti comparabunt. Nam ea rectae rationis ſocietate deſtituta, ſubtilis ſterilisque cognitionis fructum edunt. Recta & bene compoſita ad judicandum ratio ea eſt, unde veritatem in differendo adquirimus, ac perverſitatem omnem in ratiociniis veluti perſentiſcimus. Hanc autem veri falſique aeſtimationem fruſtra quaeres a praeceptis ac minutis regulis: eam praeter naturalem ſagacitatem a ſcientiarum fonte haurire licet. Porro inter eas, quae potiſſimum intellectus culturae deſtinatur, Matheſis eſt; Geometricis enim demonſtrationibus aſſueta Mens eam contrahit recte ratiocinandi conſuetudinem, ut quidquid abnorme ac perverſum in ratiociniis occurrit, ſentiat etiam, nedum intelligat. Optandum itaque, & quam maxime curandum, ut Matheſeos ſtudium Adoleſcentes ſtrenue proſequantur; quo legitimis ratiociniis aſſueſcant.

ctacula veritatis ſaepe delectant, quam ex eis in diſputando aut judicando adjuvamur. Niſi forte quod exercitatiora reddunt ingenia; ſi etiam maligniora aut inflatiora non reddant, hoc eſt ut aut decipere veriſimili ſermone atque interrogationibus ament, aut aliquid magnum, quo ſe bonis atque innocentibus anteponant, ſe aſſecutos putent, qui iſta didicerunt.

Jam porro recti Syllogismi Canon, quem Arnaldo praeeunte tradidimus, argumentandi vim totam complectitur. Minutissimae quidem quaeque leges in Scholis usurpatae ad illum facillime revocantur. Et sane duobus veluti cardinibus tota harum legum complexio vertitur: 1. ut termini latius non sumantur in Conclusione, quam in praemissis: 2. ut medius terminus semel saltem universaliter accipiatur. Atqui haec ab ea, quam tradidimus regulam, unice pendent. Huic igitur principio Scholasticae leges innituntur.

Nam 1. si amplior esset in Conclusione, quam in praemissis terminorum sententia; qui fieri posset, ut haec in illis comprehenderetur? 2. Vocum, quas particulares appellant, proprietas est, ut definita non sit illarum extensio; illudque propterea contineant, quod in ipsorum idea includitur. Ut igitur hujusmodi terminus Conclusionis terminum complectatur, omnino oportet illum saltem semel universe usurpari. Puta si probandum est, *aliquem esse Dei amicum*, *qui egestate laboret*, idque vellem inde ostendere, quod *aliquis sanctus pauper sit*: isthaec Propositio Conclusionem non comprehendet, nisi alia praecedat, ubi vox *Sanctus*, quo medio termino utor, universe accipiatur. Si enim dici nequeat *omnem sanctum esse amicum Dei*, nunquam efficiam *aliquem amicum Dei pauperem esse*: propterea scilicet, quod Conclusio in praemissis non continetur.

Antequam manum de tabula, juvat aliquot Syllogismos exhibere, ut ope recensiti Canonis

de

de eorum veritate judicemus. Sit primus ille Senecae (*a*) Syllogismus:

Qui id beneficium dedit, quo est aliquid melius, potest vinci:
Pater dedit filio vitam, est autem aliquid vita melius:
Ita pater vinci potest.

In hoc quidem Syllogismo minor Propositio; quae aliquid melius esse vita docet, quam a patre filius accepit, aperte ostendit Conclusionem in majori comprehendi.

Verum si vulgare illud sophisma expendamus;
Qui ait te esse animal, verum dicit:
Qui autem ait te esse anserem, ait te esse animal;
Igitur qui ait te esse anserem, dicit verum.

Si hoc, inquam, sophisma ad trutinam revocemus, statim se ita nobis offert Conclusio, ut nullo pacto in praemissis comprehensa delitescat. Nam τὸ *animal* certum quoddam animalis genus exprimit: minor autem Propositio in eo genere *anserem* comprehendi non docet; fieri igitur nequit, ut Conclusionem major Propositio complectatur.

Idem feratur judicium de sophismate illo, quod quidam Dialecticus Diogeni proposuit apud Gellium (*b*):

Quod ego sum, id tu non es.
Homo autem ego sum;
Homo igitur tu non es.

 Cui,

(a) *De Benef. Lib. III. cap. XXXV.*
(b) *Noct. Attic. Lib. XVIII. cap. XIII.*

Cui, cum Conclusionem veram esse negasset Diogenes, facete respondit: *Et si id verum fieri vis, a me incipe.*

§. V.

De ceteris Argumentationum speciebus.

ENTHYMEMA.

NOnnunquam in Syllogismis Propositio, quae per se ipsa constat, atque ab auditoribus facile intelligitur, reticeri solet: quod apud Oratores, & in privatis colloquiis latissimum usum habet. *Enthymema* isthaec argumentatio vocatur a Dialecticis. Tale est elegans illud Medeae Ovidii, quod a Quintiliano (*a*) laudatur:

Servare potui: perdere an possim rogas?

Quod perinde est, ac si dicas: *Servare potui; ergo possum perdere.*

EPICHIREMA.

QUemadmodum Enthymema claras atque apertas reticet Propositiones: ita contra *Epichirema*, si qua minus clara occurrat Propositio, huic probationem adnectit; quare modo quatuor, modo quinque propositionibus componitur. Ex. gr.

Hu-

(a) *Lib. VIII. cap. V.*

Humanae voluntatis appetitus immensus est ; nam quo affluentius voluptates haurimus, eo gravius ardentiusque sitire experimur.

Atqui quaecunque hujus vitae bona finita sunt, & certis limitibus circumscripta ; quippe e nihilo condita.

Beatitudo igitur, quam appetimus, a creatis rebus hauriri nequit.

PROSYLLOGISMUS.

AD Epichirema proxime accedit *Prosyllogismus* ; fit autem cum uni Syllogismo ita alius subnectitur, ut primi Conclusio sit etiam alterius major propositio. Veluti si ita arguerem:

Spiritus partium expers est:
Mens autem spiritus est;
Mens igitur partibus caret:
Sed quod partibus caret, corruptionem subire nequit;
Mens igitur nec discerpi, nec distrahi potest.

Penultima autem Propositio *subsumtum*, seu *minor subsumta* vulgo appellari consuevit.

SORITES,

QUem Latino verbo *acervalem* appellat Cicero, alii vero *Gradationem*, est argumentatio pluribus Propositionibus composita, ita quidem connexis, ut attributum unius sit subjectum alterius, atque ita deinceps, donec primae subjectum cum postremae praedicato in

Conclusione conjungatur. Sic apud Senecam (*a*):

Qui prudens est, & temperans est:
Qui temperans est, & constans:
Et qui constans, & imperturbatus est:
Qui imperturbatus est, sine tristitia est:
Qui sine tristitia est, beatus est;
Ergo prudens beatus est: & prudentia ad beatam vitam satis est.

Hîc tamen sedulo cavendum, ne qua intermedia Propositio falsa sit aut ambigua; totum enim Soriten contaminat. Talis est ille Epicuri apud Ciceronem (*b*), ut Deos hominum similes esse ostenderet:

Deos beatos esse constat:
Beatus sine virtute nemo esse potest;
Virtus sine ratione constare non potest:
☞ *Nec ratio esse nisi in hominis figura;*
Ergo si Dei sunt beati, & hominum similes erunt.

DILEMMA

EST argumentatio composita, quae totum in partes dispescit, atque ajendo aut negando de toto concludit, quod de singulis partibus ostendit. Ita in Terris vitam beatam degi non posse hoc Dilemmate ostendam:

Unusquisque in hac vita aut cupiditatibus sese addicat, aut iisdem obluctetur oportet.
Si illis indulget, infelix est; tum quia maximo

(a) *Epist. LXXXV.*
(b) *De Nat. Deor. Lib. I. cap. XXXII.*

mo id probro est, tum vero quia earum sitim explere nunquam poterit:

Si iisdem resistit, miser erit: quippe nihil hoc intestino bello molestius, quod quis secum ipse gerit.

Nemo hic itaque vere beatam agere vitam potest.

Porro non raro elegantius Propositio, quae totum partitur, reticeri solet. Ita olim Chrysippus Remp. administrandam non esse suadere nitebatur:

Si quis in Rep. administranda bene agit, offendit homines; si male, offendit Deos;

Ergo a Reip. administratione est abstinendum.

Ubi sane desideratur Propositio, quae partitionem comprehendit, h. e. *Si quis Remp. administrat, aut sancte, aut prave eam gerit.*

Jam vero in Dilemmate nonnulla sunt animadvertenda, ut eorum vis non corruat. 1. Propositio generalis, quae toti convenit, sive ea exprimatur, sive non item, (quod saepius fieri solet) vera sit oportet. Quamobrem laudatum Philosophi Dilemma in eo peccat, quod Propositio subintelligenda, nimirum *molestum esse quod sine Deorum aut hominum offensione fieri nequit*, falsitatis arguitur: quippe molestum non est homines offendere, si, quin in Deum peccemus, vitari non possit.

2. Propositio disjunctiva, cui Dilemma innititur, omnia membra, in quae dividi totum potest, complectatur. Nihil igitur efficit Dilemma illud, quo ad mortis timorem amoliendum nonnulli olim utebantur:

Aut

Aut Mens humana una cum corpore occidit, aut diu permanet:
Si occidit, cum sensu careat, malis obnoxia esse non poterit:
Si permanet, beatior erit, quippe e corporis vinculis soluta;
Mors igitur timenda non est.

Alia enim post mortem potest esse animae conditio, si nimirum poenis & cruciatibus addicatur.

3. Conclusiones, quae ex partibus deducuntur, sint legitimae. Quare superius Chrysippi Dilemma etiam in eo peccat, quod verum non est, neminem posse in administranda Rep. recte se gerere, quin homines offendat.

4. Tandem ejusmodi sit, ut in eum, qui illud opposuit, retorqueri nequeat. Ita in Chrysippum Dilemma retorqueri posse testatur Aristoteles:

Si Remp. male administres, placebis hominibus; Si recte, Deo;
Ergo administranda.

Quamvis id rationi absonum sit, cum hominibus facere satis in Deum peccantes non possimus (*a*).

IN-

(a) *Hujusmodi vitium, quod in dilemmata potissimum subrepere solet, argumenta efficit ἀντιστρέφοντα, ut Graeci dicebant, quae nimirum inverti ac retorqueri in auctorem suum possunt. Cujusmodi apud veteres celebratur illud, quo Protagoram adversus discipulum suum Evathlum usum fuisse ferunt: uti legere est apud Gellium* Noct.

INDUCTIO

EST argumentatio, quae ex pluribus particularibus enumeratis aliquid universale commune omnibus colligit: sive recensitis omnibus rei alicujus partibus, adeo ut aliquid de iis adfirmet aut neget, idem de tota re ait aut negat. Ut si quis dicat:

Sin-

Noct. Attic. V. 10. *Cum enim ille eloquentiam hunc docuisset ea conditione, ut pactae mercedis dimidium antea sibi persolveret, reliquum daturus, ubi primum causam dicens vicisset; cumque Evathlus postquam illum audierat caussas nullas reciperet; in jus ipsum vocavit Protagoras, atque hoc argumento eum ad incitas redigere contendebat.* Disce, stultissime adolescens, utroque id modo fore, ut reddas quod peto; sive contra te pronunciatum erit, sive pro te; nam si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero, sin vero secundum te judicatum erit; merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea respondit Evathlus: Potui, inquit, huic tuae tam ancipiti captioni esse obviam, si verba non ipse facerem, atque alio patrono uterer: sed majus mihi in ista victoria prolubium est, cum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto vinco. Disce igitur tu quoque, magister sapientissime, utroque modo fieri, uti non reddam quod petis, sive contra me pronunciatum erit, sive pro me. Nam si judi-

ces

Singuli sive summo sive infimo loco nati curis exeduntur.

Unaquaeque aetas sua patitur incommoda.

Juvenes aliorum voluntati obtemperent oportet; natu vero majores magna negotia sustinent.

Hic improbos corporis fert labores; ille studiis animum fatigat.

Praesens igitur hominis vita non est ab omni parte beata.

Porro ut inductio sit vera, tum quod de singulis adfirmatur aut negatur, verum sit oportet; tum etiam nulla pars praetermittenda est. Hinc facile est, ut hoc ratiocinationis genere erremus, & decipiamur.

CAPUT III.

De Fallaciis Argumentorum.

Quoniam altius animis inhaerent exempla eorum, quae fugienda, quam quae imitanda sunt: originem propterea, unde fallacia

---

ces pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero; sin contra me pronunciaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicero. *Id porro Coracem inter Rhetorem Siculum, & adolescentem discipulum, quem Tisiam appellat Hermogenis Scholiastes, evenisse tradit Sextus Empiricus* lib. II. adversus Rhetores pag. 307. *Edit. Lipsiae an.* 1718.

lacia omnis in argumentationes derivatur, aperire juvat. Quapropter fallaces ratiocinationes, quae παραλογισμοὶ, παρεξέλεγχοι, σοφίσματα dici apud Graecos consueverunt, hîc continenti serie producemus: neglectis iis, quae pueriles sunt, & nisi stupidissimum non decipiunt (*a*).

1. *Aliud probare, quam quod est in quaestione.* Quod Sophisma ἑτεροζήτησις Graecis dicebatur: ab Aristotele autem *Ignoratio Elenchi*, illius scilicet, quod ostendendum est. Atque id ex fraude plerumque admittitur, nimirum cum quis contra adversarium probare nititur, quod ille non negat, ut quod revera ab eo negatum est, evincere videatur: aut ea adversario adfingit, quae reapse non docuit, quo illum oppugnare penitusque convellere videatur.

Hujus sophismatis exemplum accipite ex Lactantio (*b*). *At idem* (Epicurus) *nos metu liberat mortis his verbis.* „ *Quando nos sumus,* „ *mors non est: quando mors est, nos non su-* „ *mus; mors ergo nihil ad nos* . . . „ *Quam argute nos fefellit! Quasi vero transacta mors timeatur, qua jam sensus ereptus est; ac non ipsum mori, quo sensus eripitur.*

2. *Quod in disquisitione positum est pro argumento sumere.* In Scholis *Principii petitio* appellari

(a) *Captiosa hujusmodi argumenta, quibus Megarici, Stoici, aliique apud Graecos delectabantur, vide si lubet apud* Georgium Walchium *in* Parergis Academicis de Orig. Log. lib. I. cap. 2. §. II. & lib. II. cap. I. sect. 1. §. 14.

(b) *Lib. III. cap. XVII.*

lari solet. Ita principium petit Spinoza, cum unam esse in rerum natura substantiam inde evincere conatur, quod unius substantiae ideam habeamus.

Huc pertinet illud Sophismatis genus, quod Graecis ἡ ὑπέρω περιτροπὴ, h.e. *pistilli circumactus* nuncupatum, vulgo *vitiosa circuitio* ultro citroque in se rediens appellatur: nimirum cum idem probatur per idem. Veluti si quis sidera inerrantia propterea scintillare dicat, quod omnium maxime a nobis distent: atque ea a nobis longe distare ex eo probet, quod scintillent.

Hîc tamen praetereundum non est, vitiosam non esse circuitionem, cum ex iis, quae aliunde evincere possumus, vel per se constant, aliquid ostendimus; quo probato rursus ad ea inde demonstranda regredimur. Ita Physici Tellurem conglobatam esse vel ex hoc colligunt, quod Soli objecta conicam umbram projiciat; tum ex ipsius figura sphaerica illius umbram in coni speciem esse deducunt. Quamobrem temere Catholicos vitioso circulo implicari obganniunt Sectarii, quasi e Scriptura Ecclesiae ἀσφάλειαν, *infallibilitatem*, tum ex hujus infallibilitate illius auctoritatem ostendant. Cum enim nulla sit inter ipsos & Catholicos de Scripturae auctoritate controversia, hinc recte Ecclesiam infallibilem esse demonstrant.

3. *Tamquam rei caussam accipere, quae caussa non est*. Veluti cum quis humani generis infortunia in sidera & cometas transfert: vel cum Peripatetici in naturae phaenomenis explicandis ad nescio quas occultas qualitates confugiunt: vel

vel tandem cum pro caussa propria & proxima communis aliqua & remota adhibetur. Hujusmodi erat illa Ethnicorum in Cristianos criminatio. *Dum Cristianismus vigere coepit, mille calamitates Romanum orbem oppresserunt. Cristianismus igitur omnium calamitatum caussa fuit.* Quod sophisma prae ceteris elegantius solvit Tertullianus (*a*).

Huc revocari etiam debet fallax illa conclusio, cum aliquid ex aliquo oriri colligitur, quia post illud evenit: *post hoc, ergo propter hoc*. Ut enim Tullius inquit (*b*): *Caussa non sic intelligi debet, ut quod cuique antecedat, id ei caussa sit, sed quod cuique efficienter antecedat.*

4. *A sensu diviso ad compositum*, & contra *a composito ad divisum gradum facere*. Id autem, quod fallacia *Compositionis* & *Divisionis* dicitur, fit cum ea conjunguntur, quae recte intelligi nequeunt, nisi disjungantur; aut ea dividuntur, quae dividenda non sunt. Veluti si quis diceret: *Senatus in Rep. summa rerum potitur; Quilibet ergo Senator Reip. dominus est.*

5. *A dicto secundum quid ad dictum simpliciter*. Nimirum cum ex eo, quod certa quadam ratione verum est, Conclusio generalis colligitur. Quemadmodum est vetus illud sophisma a Gellio relatum (*c*): *Quod nix est, hoc grando non est: nix autem alba est; grando igitur alba non est.*

6. Vi-

(a) *Apologet. cap. XL. XLVII.*
(b) *De Fato XXVI.*
(c) *Noct. Attic. Lib. XVIII. cap. XIII.*

6. *Vitiosa Enumeratione*, sive *Inductione uti*. Cum non omnes modi, quibus res afficitur, enumerantur: aut cum ex paucissimis partibus recensitis, quod de iis probavimus, universe ad totum pertinere colligimus. Vitiosa igitur esset Inductio, si quis, quod oleum, vinum, urina &c. dum vi frigoris in glaciem concrescunt, condensantur, omnes omnino liquores conglaciatos in minus spatium redigi concluderet; quippe aquam glacie concretam rarefieri experimenta docent.

7. *Vocum ambiguitate abuti*. Quod quidem admittitur, quoties idem nomen, quod diversa significat, inspecta una ipsius sententia cum subjecto, altera vero cum praedicato copulatur. Porro hujus generis sophismata perraro imponere solent; quippe puerilem argutiam praeseferunt. Verum paullo difficilius ambiguitas deprehenditur, cum res eadem varia potest ratione considerari, cum scilicet eadem idea plures partes complectitur. Veluti si quis Extensioni sensum non repugnare inde argueret, quod homo, qui corpore componitur, sensum habeat.

CAPUT IV.

De Caussis Errorum.

QUae hactenus sophismata recensuimus in ratiocinando decipiunt: alia sunt praeterea, quae facilem aberrandi occasionem Menti praebent. Hae autem errorum caussae repetendae

sunt

sunt ex *Praejudiciis*, *Cupiditatibus*, *Philautia*; *Negligentia*, & *Praecipiti Judicio:* quas hic aperire praestat, ut in veritate investiganda sedulo ab iis caveamus.

I. Mentis nostrae ratiocinatio certis quibusdam principiis regitur: inde fit, ut quae falsa sunt, si loco illorum habeantur, eam pervertant omnino ac labefactent. Porro haec *Praejudicia*, sive *praejudicatae opiniones* appellantur, quasi dicas praeconcepta citius quam par est animo judicia; ante nimirum, quam diligenti instituto examine rerum cognitione animus informetur. Plura vero sunt, quae aditum praejudiciis praebent. Baco quidem Verulamius, qui Philosophiae instaurationi primus manum admovit, in plures classes praejudicia dispertivit; eaque, ut tunc aetas ferebat, insolentibus ac speciosis vocabulis, sed quae magnum aliquid sonant, designavit (a). Non abs re vero ea repetere licet ex *partium studio*, *auctoritatis aestimatione*, *disputationis amore*, & *multitudinis sensu*.

(a) *Ea ipse* idola *vocat concinno quidem vocabulo, quasi vanas dixeris imagines, quae verarum notionum speciem mentiuntur. Appellat* idola Tribus, *quae in ipsa hominis natura & in tribu seu gente hominum fundantur*: idola Fori, *quae ex foedere verborum & nominum se insinuarunt in intellectum, & ex vulgi opinionibus dimanarunt*: idola Specus, *quae ex ingenii & temperamenti diversitate ortum habent*: idola *tandem* Theatri, *quae ex diversis Philosophiarum dogmatis*

1. Nonnulla sunt quae aut falsa, aut saltem dubia a plerisque reputantur; quorum tamen veritas probatur ab aliis, si diversae nationis, vel diversae disciplinae fuerint, aut diversam sectam profiteantur. Unde tam dispar sententia? Rerum veritas variationis nescia una est & sibi constans. Illud quidem studium, quo suas quisque vel ultro oblatas vel quaesitas partes sibi tuendas putat, hanc judicandi varietatem inducit. At quantum in hoc est ad veritatem assequendam impedimentum! Hujusmodi enim studium adeo plerumque incenditur, ut pro eorum etiam, quae non probantur, veritate acriter dimicetur. Hinc plerique sunt, qui, ut ait Tullius (a), *certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam quae non probare soleant, cogantur constantiae caussa defendere.*

2. Praejudicatis opinionibus imbuimur, cum ita ex alienis judiciis pendemus, ut etiam sine ratione apud nos valeat auctoritas. Id autem potissimum usuvenit, cum primis aetatis nostrae annis praeceptoribus instituendi tradimur. Nostrum enim judicium adhibere per aetatem non dum valemus: quae igitur praeceptores docent, ea

tis hominum animis insederunt: inde ducta denominatione, quia quot Philosophiae receptae aut inventae sunt, tot fabulas productas & actas censemus, quae mundos effecerint fictitios & scenicos, *ut ipse ait. Videndus ipsius liber, cui titulus*, Novum Organum Scientiarum.

(a) *Tuscul. Quaest. lib. II. Cap. II.*

ea probata animo recondimus. Haec porro, cum adoleverit aetas, expendere negligimus: quae propterea ejusmodi radices in nobis agunt, ut veluti a natura nobis insita esse ducamus. Ab hujusmodi igitur praejudiciis maximopere caveamus: idque curemus, ut non quo nos miserint praeceptores, sed quo duxerint, eamus.

Itaque cavendum etiam nobis est, ne praestantium virorum auctoritate permoti, ipsorum opinionibus servi pecudis more insistamus. *Omnino*, ait Plato (*a*), *non quis dixerit, sed quam recte dicatur, considerandum est*. Tum & Tullius (*b*) apposite admonet: *Non tam auctores in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinunt enim suum judicium adhibere. Id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero soleo probare id, quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt si quid adfirmarent in disputando, cum ex eis quaereretur, quare ita esset, respondere solitos: Ipse dixit: ipse autem erat Pythagoras.*

3. Disputationis usus utilis est, & quaestionis veritati aperiendae non minimum conducit. Cum enim hominis animus secum ipse tacitus in re aliqua perspicienda occupatur, languet plerumque illius vis ac torpescit: igniculis quibusdam excitetur oportet, unde incendatur. Disputationis igitur laqueis implicatus animus sese expedire

 con-

(a) *In Charmide.*
(b) *Lib. I. De Nat. Deor.*

connititur, atque obiectionibus facturus satis, quaestionis nodum solvere quanta maxima contentione conatur. At si cupiditatum aestus, & privatae opinionis tuendae studium accedat, disputatione perverse abutuntur homines. Eo enim deveniunt, ut rationibus nunquam cedentes cuique rei probandae rationes investigent, verum falso admisceant, utrumque aeque probent, contra dicendi duntaxat studio abrepti. Inde autem praejudiciorum ingens copia. Illud enim ratum habetur, quod ab adversariis negatur: contra a veritate abhorrere ducitur, quodcunque iis probatur.

4. Praejudicia tandem molestissima nobis insinuantur ex vulgi opinionibus, pessimi veritatis interpretis. Errorum enim nostrorum caussa est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod quidem Senecae (a) verbis aptius exprimi non posse censeo: *Tritissima quaeque via & celeberrima maxime decipit. Nihil ergo magis praestandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Atque nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quae magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum super alios ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se* at-

(a) *De Vita beata cap. I.*

attrahat: primi exitio sequentibus sunt. Hoc in omni vita accidere, videas licet: nemo sibi tantummodo errat, sed alieni erroris caussa & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus, & dum unusquisque mavult credere, quam judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur: versatque nos & praecipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Quamobrem, ut idem Auctor (a) monet, *aestimemus singula famâ remotâ; & quaeramus quid sint, non quid vocentur.*

II. Cupiditates, quibus hominis animus occupatur, veritati assequendae quamplurimum adversantur. Res enim objectas perinde inspicimus, atque ad nos referuntur: prout nimirum cupiditatibus, quibus afficimur, congruunt illae, aut repugnant. Ejusmodi igitur de illis judicium ferimus, quale nobis cupiditates ipsae suadent: adeo quidem, ut rerum veritas atque utilitas unum idemque nobis sint. Id autem ex eo proficiscitur, quod hominis animus cupiditatibus ita immutatur, ut quaecunque ad eas referuntur, etiam mutata ipsi videantur. Quamobrem sibi quisque attendat, & postquam quibus maxime ducatur cupiditatibus, deprehenderit, earum conclusionum veritati diffidat, in quibus efficiendis affectuum vis valere potuerit: ideas accuratius expendat, diligentius examen instituat, donec nullum cupiditatum consiliis locum esse adverterit.

III. At longe majus impedimentum in rerum aestimatione, & turpior humani intellectus aber-

(a) *Epist. CXXIII.*


ratio proficiſcitur ex Philautia. Hominis animus natura ipſa ſuadente ſe amat; hujuſmodi igitur amor plerumque in cauſſa eſt, cur quae nobis arridet ſententia, ea vera eſſe, & cuique probanda videatur. Et ſane, ut advertit ſupra laudatus Verulamius (a), *adamant homines ſcientias & contemplationes particulares, aut quia auctores & inventores ſe earum credunt; aut quia plurimum in illis operae poſuerunt, iiſque maxime aſſueverunt.* Id autem turpe admodum eſt, & errorum non levium origo. Inde enim proficiſcitur, ut propriae ſententiae rationes rimari homines non curent, aliorum rationibus aures accommodare negligant; veritatem ſola auctoritate metiri contendant, deſpicatui habeant ac temeritatis accuſent quoſcunque ſuis opinionibus adverſari deprehenderint.

IV. Veritati comparandae adverſatur etiam Negligentia, & taedium laboris, quem in quaeſtionibus diſcutiendis ferre oportet. Evenit enim plerumque, ut alicujus quaeſtionis inſtituto examine poſt aliquot tentamina, poſt aliquot repudiatas conjecturas, ei tandem aſſenſus praebeatur, quae ultima occurrit. Hanc Mens laboris perſequendi taedio capta ultro amplectitur, eamque, licet omnium ſit peſſima, ſibi tuendam ſtatuit. Quandoque etiam laboris difficultas efficit, ut veritatis aſſequendae ſpem Mens dejiciens in ſupina ignorantia contabeſcat.

V. Errandi tandem cauſſam affert Praeceps Judicium. Cum enim objectas nobis ideas mature non expendimus, in ſubjecti & praedicati conve-

(a) *Nov. Org.* 53.

venientia & repugnantia deprehendenda facile fallimur. Maxime igitur opere curandum est, ne perceptae idearum relationi extemplo ac temere adquiescamus. Sed contra assensum nostrum usque sustineamus, donec ideis accuratius expensis, in quo secum illae conveniant aut discrepent, exploratum sit. Id enim sapientis est, auctore Tullio (a): *Ego maximam actionem puto, repugnare visis, obsistere opinionibus, & assensus lubricos sustinere.* Hîc autem advertendum duco, ne judicii suspensione abutamur. Nimirum non eo usque deveniendum est, ut vel ab ipsa evidentia oculos avertamus. Victrici enim perspicuitati cedere oportet: isque veritatis certus est character, cum propositae evidentiae attendentes ad assensum impellimur.



LOGICAE ELEMENTORUM

PARS IV.

HActenus varias Mentis ἐνεργείας, *operationes*, quibus rerum notitias sibi ipsa comparat, prosecuti sumus: superest, ut quo pacto ad veritatem investigandam aliisque proponendam iis utendum sit, videamus. Porro artem hanc, qua cognitiones nostras eo ordine disponere instituimur, ut ad veritatem inveniendam eamque aliis

(a) *Acad. Quaest. lib. IV.*

explicandam ducamur, *Methodum* nuncuparunt Philosophi.

Isthaec igitur Methodus duplex est: altera quae veritati investigandae conducit: altera qua veritas inventa docetur. Haec συνθετικὴ, sive *Compositionis*, illa ἀναλυτικὴ, sive *Resolutionis* Methodus Graecis vocabulis e Geometriae penu depromtis nominantur.

Est autem, in quo ambae conveniant, & in quo discrepent. Quod inter se commune habent illud est, quod utraque a notis ad ignota gradum faciat, ita quidem ut novae semper veritates e veritatibus semel cognitis emergant. Deinde quae nota sunt, utrobique priora proponuntur, ut ex iis per conclusiones ad incognita gradus fieri possit. Ac tandem omnis haec conclusionum series in utraque propositionibus inter se connexis componitur.

Verum in eo discrepant, quod Methodus *analytica* veritatem investigat per resolutionem compositorum in simplicia, totius in partes, effectuum in caussas. Quare in quaestione aliqua explicanda veritates, quae ad res singulares pertinent, examinat, minuta quaeque consectatur, ut paullatim ad universalia progrediatur. Hujus Methodi exemplum praebet Inductio, quae a partibus totum colligit.

Contra Methodus *synthetica* ab universalibus ad particularia descendit. Hinc generales quasdam veritates proponit, e quibus singulares deducit. Syllogismus, qui a toto partem concludit, Syntheticae Methodo similis est. Perinde igitur inter se differunt, ac ratio inquirendae

Ge-

Genealogiae, cum a majoribus ad posteros descenditur, aut a posteris ad majores ascenditur.

Ut autem recte utraque Methodus instituatur, nonnullae regulae proponuntur a Dialecticis, quas hic breviter recensere omnino oportet.

CAPUT I.

De Methodi Analyticae Regulis.

I. Prima Methodi Analyticae regula postulat, ut propositae quaestionis status probe intelligatur. Summo enim opere cavendum nobis est, ne praecipiti mente aliquid explicandum aggrediamur prius, quam constiterit quod investigare oporteat. Enim vero cum notas, quibus quod quaerendum est veluti insignitur, minime cognitas habemus, vagari & errare cogimur: neque illud assecutos esse, si assequi contigerit, neque a scopo aberrasse, si unquam aberraverimus, animadvertere licet.

Quaevis enim quaestio etsi aliquid, quod lateat, comprehendit; secus enim nihil quaerere oporteret: tamen quod ignotum est quibusdam notis & conditionibus circumscribitur: unde nimirum fit, ut hanc rem potius, quam aliam quaeramus: ac si eam invenisse dabitur, inde colligamus assecutos esse, quod quaerere propositum fuerat.

Atque illud inprimis advertendum est, ut in conditiones, si quae sint, animum intendamus: illis

illis quidem ita prospicientes, ut neque alias adjicere, neque ex iis, quas quaestio complectitur, aliquas omittere curemus. Quippe hujusmodi conditiones, nisi intelligantur, obscuram reddunt quaestionem; intellectae vero saepe ejus solvendae viam aperiunt.

Praeterea ad statum quaestionis probe intelligendum juvat etiam, immo necesse est, ut singulorum verborum sensus sedulo inspiciatur, ac determinetur. Quare verbis perspicuis atque ab omni ambiguitate liberatis exprimatur; ne quot sunt propositionis sensus, totidem quaestiones enascantur.

Ita (ut quaestionis analyticas solvendae exemplum proponamus, ac deinceps prosequamur) si quaeratur caussa Soni: in id primo incumbendum est, ut quaestionis sensum assequamur, & statuamus. Sonitus enim nomine venit tum tinnitus aere pulsato redditus, tum ipsius sonitus *sensatio* in nervis ad id a natura institutis excitata. Idcirco sic planius quaestio proponetur: *Quid nimirum sit illud, quod tum aeri pulsato, tum ex hujus percussione auribus accidit, unde soni perceptio excitatur.*

II. Hanc excipit altera regula, quae diversas ideas in quaestione occurrentes, separandas esse jubet, ut in plures peculiares quaestio soluta facilius expediatur. Quippe fieri nequit, ut recte expendantur, quae confusa & simul permixta contemplamur. Qui enim plura, quam potest, mente complecti nititur, se ipse perturbat, neque aliquid certe de iis judicare potest: non secus quam qui oculis plura uno obtutu temere confusa intuetur. Ni-

Nihil igitur antiquius habendum est, quam ut quaestionem in sua capita dividamus: tum ea singillatim expendamus; eo sane ordine, ut ab iis initium sumamus, quae simplicioribus ideis constant: neque ad alia discutienda progrediamur, nisi priora nobis certo constiterint.

Quare ut propositae quaestioni insistamus, in haec membra eam partiemur. 1. *Quid Aeri pulsato contingat, & quid praestet*: 2. *Cui tribuenda sit communicatio inter corpus sonorum & aures*: ac 3. *Quid auribus ipsis accidat*.

III. Sequitur deinde tertia regula, nimirum: Aliquo ingenii conatu retegendas esse medias ideas, seu quos *terminos medios* Schola appellat, quarum ope peculiares quaestiones solvi possint; ut iis definitis atque in unum conjunctis inveniatur id, quod quaerebatur. Quamobrem in memoriam revocare oportet, quae de ea re, de qua agitur, nobis comperta sunt; ut ex his mutuemur ideas, quae in instituto examine locum habere possunt.

Itaque ad trutinam revocabimus singulas quaestiones de Caussa Soni. Et 1. quidem, ut propositionem, quae primas obtinet in quaestione explicemus: nihil aliud, Aeri Campano, dum percutitur & sonum edit, contingere observamus, nisi tum motum, quem vocant *oscillatorium* totius Aeris, tum motum tremulum exiguarum partium ejusdem. Deinde experientia demonstrante potius in tremore duntaxat exiguarum partium, quam totius Aeris Campani sonum statuendum esse comperiemus.

2. Quod ad alteram pertinet, advertemus illud,

lud, ratione cujus auditus concutitur, vel aëri, vel luci adscribi posse; quippe praeter haec nulla Aes Campanum inter & aures corpora interjecta esse constat. Cum autem lux nihil praestet, cum noctu etiam sonus audiatur; hinc uni aëri soni communicationem tribuendam esse deducimus; praesertim quia sublato aëre nullus sentiatur sonus, licet corpus sonorum valide percutiatur.

Jam illud porro quaerendum est, quomodo per aërem sonus communicetur. Atque hic experientia nos docet tremulum Aeris Campani partium motum ita per aërem propagari, ut oscillantes illius partes proximum aërem premant & condensent, mox recedere & sese iterum expandere sinant; atque ita deinceps aëre veluti undante tremor ad aures usque deferatur.

3. Tertia tandem quaestio enucleanda superest, quidnam nimirum auribus accidat. Qua in re auris structuram consideramus: atque in ea deprehendimus exstare cavum exterius apertum aëre repletum instar canalis, interius vero tenui quadam membrana, quod *Tympanum* dicitur, ab externo cavo separari; atque ibi varios canales ex materia ossea & elastica occurrere: hisque tandem nervum cohaerere. His animadversis colligimus motum tremulum Tympano communicatum diffundi per interius cavum, ita ut omnia in aure ejusmodi motu afficiantur.

IV. His tandem quarta regula succedit, qua admonemur, ut singulis propositionibus, in quas quaestio secta est, discussis, quidquid inventum fuerit colligatur in unum, quo propositae quaestionis solutio habeatur. Ut

Ut igitur quae in Cauſſa Soni expendimus in compendium redigamus, ita ſatis quaeſtioni fieri poterit. Cum corpus ſonorum percutitur, motus partium tremulus aëri adjacenti deinceps communicatur, ita quidem ut ipſe aër in Tympano contentus eumdem motum concipiat: atque hinc oſſa omneſque auris partes eodem motu cientur, qui nervo cohaerenti communicatus ſoni ſenſum in Mente excitat.

Atque hae ſunt potiſſimae Methodi Analyticae regulae; quibus illud addere juvat, quod ſi abſoluto examine, non adhuc quod inveſtigatur elucet: iter omne, ut ita inquam, diligentius relegendum eſt: tum reſectis iis, quae inutilia ad quaeſtionem ſolvendam fuiſſe videmus, accuratius cetera, & ſi quid ſuperſit, quod uſui eſſe queat, excutiantur.

CAPUT II.

De Methodi Syntheticae Regulis.

QUaenam ſit Syntheſeos indoles ex iis, quae ſupra innuimus, ſatis liquet. Poſtquam nimirum veritatem aliquam invenire, aut quaeſtionem explicare licuit, ordinem quaerere omnino oportuit, quo partium ipſius nexus facile intelligeretur; atque illius veritas ita ceteris probaretur, ut nihil in dubium revocare poſſent.

Id autem facilius peragi non aliter potuit, quam ſi propoſitis generalibus principiis, quorum veritas aut per ſe conſtet, aut probetur, inde con-

conclusiones colligerentur: atque is ordo servaretur, ut posteriora a prioribus derivarentur.

Porro ut Methodus isthaec fini, cui intendit, apte respondeat, plura sunt quae servanda monent Logici. Quod autem praecepta in subjecta materia, ut ajunt, facilius intelliguntur: idcirco Methodum, quam adhibent Geometrae, prosequemur; praesertim cum ea persuadendae veritati communi sententia accommodatior censeatur.

Cum igitur Geometris ea proponere in animo sit, quae evidentia essent, atque ἀναντίῤῥητα (h. e. *quibus nihil objici potest*) haec accurate exsequenda sibi ipsi praescripserunt. 1. Ut a vocabulis ambiguis abstinerent; quamobrem vocum, quibus utuntur, definitiones in antecessum exhibent. 2. Ut ratiocinia iis principiis adstruerent, quae suam perspicuitatem atque evidentiam cuique probarent; itaque apud ipsos *Axiomata* praecedunt, quorum veritas tanta luce fulget, ut noctem quamdam potius ipsis affunderet, si quis ea evincere niteretur. 3. Tandem ut omnia ἀποδεικτικῶς, *demonstrativis*, ut ajunt, argumentis ostenderent; atque hinc est, ut ipsorum *Theoremata* & *Problemata* Definitionibus, atque Axiomatis, aut Propositionibus demonstratis innitantur.

Ad haec quidem capita revocari possunt quaecunque praestant Geometrae, cum veritates quas investigarunt, demonstrant. Ut autem Methodus haec Geometrica clarius intelligatur, quinque regulas, quas a Cll. Arnaldo (a) & Cle-

(a) *L'Art de Penser Part. IV. chap. III. IV. &c.*

Clerico (a) mutuati sumus; hic tradere utile erit; quarum primae duae Definitiones, tertia Axiomata, ceterae Demonstrationes respiciunt.

I. Prima regula praecipit, ut nullum vocabulum subobscurum aut ambiguum sine definitione adhibeatur. Ut enim aliquid evidenter demonstretur, perfecte intelligere oportet quae dicuntur: at nullo pacto id assequetur, qui obscuris aut ambiguis vocibus rem pertractaverit. Quod si igitur hujusmodi voces usurpandae sunt, earum notio perspicue aperiatur.

Id autem potissimum praetermittendum non est, cum in quibuscunque Scientiis aut quaestionibus explicandis vocabula τέχνικα usurpantur, quae nimirum *cuique Arti sunt propria*. Ea enim accurate definire oportet; quippe quae plerumque auditoribus incognita sunt: atque hinc vel maxime confusio orietur, si illa aliter, ac res postulat, accipiantur.

II. Ut definitiones usui sint atque emolumento, in definitionibus nullis vocabulis, nisi notissimae significationis, aut jam explicatis utamur. Ejusmodi scilicet sint vocabula, ut quanta maxima fieri potest perspicuitate eam ideam exhibeant, quam verbo, quod definimus, subesse volumus.

Nam cum non satis nitide idea exprimitur, quam voce aliqua designamus, sensim sine sensu ad aliam prorsus ideam transgredi solemus. Quod vitium inde dignoscere licet, si quoties vox ea occurrit, ipsi definitionem antea traditam sufficiamus. At-

(a) *Oper. Philosoph. T. I. P. III. cap. IX.*

Atque hujus vitii ne ipsum quidem Euclidem purum fuisse nonnulli animadvertunt. Is enim angulum definit *duarum linearum in eodem plano se mutuo tangentium, & non in directum jacentium alterius ad alteram inclinationem*. Atqui hanc definitionem cum re definita reciprocari non posse, ubicunque τὸ *Angulus* ab Euclide usurpatur, ipsi ajunt. Cum enim Angulum bifariam secare docet, se alio sensu eam vocem intelligere aperte ostendit. Quippe non duarum linearum inclinationem, sed spatium ab illis, si earum extrema jungerentur, interceptum dividi arbitrantur. Verum legantur Guilielmi Whistoni Additamenta in Tacquetium (*a*).

Ex his autem illud colligatis volo, quod licet nominum definitiones a nostro pendeant arbitrio: omnis tamen cura in eo collocanda est, ut perquam perspicue idea explicetur, quam vocabulo, quod definitur, adfingimus. Ita enim fiet, ut eadem illud notione semper accipiatur; & vocis definitae vices definitio gerere usque possit.

III. Regula, quae ad Axiomata spectat, ea est, ut nihil, quod non sit evidentissimum, loco Axiomatis habeamus. Quamobrem ne in hisce statuendis errori obnoxii simus, duo observanda proponimus.

1. Cum in propositione subjecti ac praedicati mutua relatio mediocri attentione adhibita ipsa per se animo objicitur: axioma erit ea propositio. Nimirum ea perspicuitate praedita est, ut de-

(a) *Schol. ad Propos. XVI. Lib. III. num. 7.*

demonſtratione non egeat. Ubi advertatur diſtinguendam eſſe demonſtrationem ab explicatione, quae nihil officit Axiomatum indoli.

2. Quod ſi, propoſitione inſpecta, ſubjecti ac praedicati relationem continuo deprehendere non licet; illa inter axiomata non eſt recenſenda: ſed adſcitis aliis ideis debet demonſtrari. Ita quod omnes anguli cujuſcunque Trianguli duobus rectis ſint aequales, axioma non eſt; quippe id ex comparatione tertiae ideae, linearum ſcilicet parallelarum demonſtratur.

IV. Tandem quod ad Demonſtrationes ipſas attinet, hae ſervandae ſunt regulae. 1. Ut nihil in iis adhibeatur, praeter definitiones conſtitutas, Axiomata, & Propoſitiones jam demonſtratas. 2. Ut nunquam abutamur ambiguitate vocum, eas alio ſenſu ab illo, quem in Definitionibus tradidimus, accipientes.

Atque haec de Methodo Syntheſeos, quae a Geometris potiſſimum adhibetur, dixiſſe ſatis. Haec autem aliis Scientiis & Quaeſtionibus pertractandis omnino accommodari non poteſt. Neque enim in quibuſcunque Scientiis Definitiones & Axiomata proponi, atque eumdem prorſus ordinem ſervari res patitur: quin etiam nonnunquam obſcuritatem potius & confuſionem gignit, quam lucem affert. Hinc Geometricum hujuſmodi apparatum, ut reliquis imponant, a nonnullis adoptari ſcite advertit Cl. Alembertius (a). Exterior enim iſte Matheſeos veluti cortex ab


(a) *Mélanges de littérature T. IV. Eſſai ſur les élémens de Philoſophie §. V.*

iis adhibitus, qui aut erroribus abripiuntur, aut subleſtae ſunt fidei, eo intendit, ut tum ipſi tum reliqui decipiantur. Affectatam praeterea ſapit diligentiam, quin ineptam ac puerilem imitationem, cum quis ſumma religione praeter Geometricum ordinem, & Geometrica vocabula a ceteris abſtinet. Quaſi nimirum voces *Theorema*, *Corollarium*, *Scholion &c.* arcana quadam virtute demonſtrationis vim omnem contineant; ac ſi ad calcem propoſitionis adjicitur *Q. E. D.* in demonſtratis habeatur, quod adhuc indiget demonſtratione: ut idem laudatus Auctor ait (*a*). Quamobrem in eo duntaxat omnis induſtria collocanda eſt, ut in vocum ambiguitate fugienda, in iiſdem definiendis, atque in recte ratiocinando Geometrarum veſtigiis inſiſtamus.

ME-

(a) *Ibid.* §. *XX.*

METAPHYSICAE ELEMENTA.




ANTELOQUIUM.

EA Philosophiae pars, quae *res ab omni corporis contagio sive reapse immunes, sive vi Mentis abstractas contemplatur*, vulgo *Metaphysica* nuncupari consuevit. Eo autem nomine donata est: vel quia μετὰ τὰ φύσικα, *post res physicas* ipsi locus datus fuerit, cum collecta Aristotelis scripta Andronicus Rhodius digessit; vel quia sit μετὰ φυσικήν, quippe res pertractat *supra physicam conditionem corporum* constitutas.

Omnis porro Metaphysica doctrina aptissime in tres partes distribuitur, quarum altera de Ente, ejusque affectionibus agit: altera humanae Mentis naturam, ejusque dotes prosequitur: tertia tandem Dei exsistentiam, atque attributa rationis lumine perscrutatur.

METAPHYSICAE ELEMENTORUM PARS I.

ONTOLOGIA.



CAPUT I.

De Principiis Cognitionis Humanae.

IS est nostrarum cognitionum ordo & nexus, ut aliae ex aliis profectae omnes certis quibusdam principiis, quorum veritas evidenti perspicuitate fulget, innitantur. Quae autem humanae cognitioni subjiciuntur, aut res sunt *necessariae*, quae nimirum uno prorsus pacto determinari possunt; aut *contingentes*, quarum scilicet determinatio magis haec, quam illa necessaria non est. Itaque primum omnium hujusmodi principia, quibus Mens nostra fulcitur, statuenda esse duco.

§. I.

De Principio Contradictionis.

INtimo Mentis nostrae testimonio aperte docemur ita natura comparatos esse, ut cum aliquid

quid esse judicamus, idem simul non esse haud judicare possimus. Id sane nemo unus, nisi qui reclamantem conscientiam contemnit, in se experiri inficias iverit. Quis enim quavis vi interposita ab intellectu impetrare poterit, ut dum solem intuetur, sibique conscius est, quod eum videat, illum non intueri sibi persuadeat?

Huic interiori Mentis experimento innititur satis illud vulgatissimum Axioma; *Impossibile est idem simul esse, & non esse*. Hoc porro *Contradictionis* principium appellari consuevit propterea, quod contumaces sibi ipsos *contradicere* ostenditur, cum aliquid, quod illi negaverint, per hoc principium *indirecte* demonstratur.

Jam vero vulgo in Scholis recensitum Axioma veluti primum cognitionis principium proponitur. Verum ita omnia confundunt, ut quonam sensu humanae cognitionis principium illud dicatur, intelligi nequeat. Ne igitur quae proferemus disputationibus huc & illuc trahantur, quaestionis statum constituamus oportet.

Quamobrem nulla hic controversia instituitur, num huic Axiomati primae adscribendae sint partes propter evidentiam, qua fulget, haec enim omnibus comunis est. Neque nunc expendimus, utrum illud primum omnium nostrae Menti occurrat; mox enim hoc persequi dabitur. Illud duntaxat quaerimus, num laudatum Axioma ejusmodi sit, ut non modo veritas omnis nostrarum cognitionum, quae in rebus necessariis versantur, inde proficiscatur: sed etiam earumdem demonstratio in eo innitatur, atque ad illud revocetur. Quos sane characteres si hoc Axioma

 prae

prae se ferat, veluti humanae cognitionis Principium jure habebitur.

PROPOSITIO. *Contradictionis Principio humanarum cognitionum, quae res necessarias respiciunt, veritas innititur.*

Prob. I. Illud veritatis basis est & fundamentum, quo stante cognitionum suarum certa Mens est; contra illo convulso veritas omnis intercidit. Atqui is est character Contradictionis Principio peculiaris. Ergo.

Minor Propos. demonstratur. Finge idem esse, & non esse eodem temporis vestigio: nullus amplius erit veritati locus. Certi enim esse non possumus trianguli rectilinei duo latera tertium excedere, nos id percipere; cum nihil vetat, quin eodem horae momento trianguli duo latera reliquo non sint majora, idque minime percipiamus. Si igitur contradictionis principium convellatur, veritas omnis pessum ibit.

II. Adeo constat hoc Axiomate nostrae Mentis cognitiones fulciri, ut inde notionum, quas sibi comparat, veritatem veluti e nativo fonte hauriat. Earum enim aliae res necessarias, aliae possibiles, aliae tandem impossibiles respiciunt. Atqui haec omnia ad Contradictionis Principium revocantur. Ergo.

Nam 1. propterea aliquod necessarium, sive unico modo, ut ajunt, *determinabile* esse adserimus, quod oppositum ejus esse nequit, quippe contractionem involvit. Nimirum si quod necessario opponitur, verum esse admitteretur, res eadem simul esset & non esset. Notio igitur rei necessariae ad Contradictionis principium revoca-

tur.

tur. Ita in triangulis rectilineis inde colligitur, necessario tres angulos duos rectos adaequare, quod si eodem manente laterum numero, eademque linearum specie fieri posset, ut angulorum quantitas immutaretur, eadem figura simul esset, & non esset triangulum rectilineum.

2. Eo etiam res redit, cum quidpiam possibile esse deprehendimus. Tale enim esse statuimus, quod nullam contradictionem complectitur: unde scilicet non oritur, quod res eadem simul esset, & non esset. Ergo ex laudato axiomate rei possibilis notio proficiscitur.

3. Tandem impossibile habemus quodcumque contradictionem comprehendit: quod scilicet si statuatur, idem de eadem re adfirmatur, & negatur. Ita cum Geometrae ostendunt fieri non posse, ut duo circuli, quorum alter alterum contingat, sint concentrici: ex hypothesi, quod idem habeant centrum, efficiunt radium minoris aequalem esse debere radio majoris circuli, h. e. partem aequalem toti. In quo contradictio exprimitur; eadem enim pars esset tum minor, tum aequalis toti. Ergo rem impossibilem esse ex laudato axiomate definimus.

Quamobrem praesens Axioma plurimum valet ad comprimendam eorum audaciam, quibus jure aut injuria omnia quamvis certa negare mos est. Ad eas enim incitas rediguntur, ut suismet adfirmationibus induantur, & jugulentur. Quod ex demonstrationibus, quas vocant *indirectas*, quibus Geometrae potissimum utuntur, unicuique colligere datur.

III. Eodem contradictionis principio Mens du-

citur, ut rerum omnium proprietatum ideas recte efformet. Nam ex eo, de quo loquimur, Axiomate necessario efficitur, unum idemque Ens proprietates complecti non posse, quae secum ita pugnant, ut altera alteram subvertat. Quod sane quanto nobis sit usui, atque emolumento, ne temere cognitiones nostrae procedant, nemo est, qui non agnoscat.

Quae cum ita se habeant, nihil caussae esse video, cur nonnulli huic Axiomati cognitionis humanae Principii nomen abjudicandum esse existiment. Id fortasse eos falsos habuit, quod animum induxerunt, illud veluti cognitionis principium eo haberi, quia, inde humana eruditione profecta, veritates omnes in eo quasi quodam semine delitescentes explicantur. Lockius sane id sibi persuasum fuisse ostendit, cum laudatum Axioma cognitionis principium esse propterea neget, quod nemo unus scientiae alicujus systema in eo inniti monstraverit: neque quis dixerit illius ope novas rerum notitias acquiri, aut veritates abditas e tenebris ad lucem evocari (*a*). Quibus quidem querelis nullus relinqueretur locus, si quaestionis status definiretur.

At enim dixerit quispiam. Infinita est Dei scientia ac potentia. Quae igitur nobis impossibilia videntur, ejusmodi non sunt, si ad Deum referantur. Ergo divina potentia fieri potest, ut idem sit & non sit eodem temporis vestigio. Atqui hoc semel admisso Contradictionis principii veritas cadit. Nostrarum igitur cognitionum principium temere statuitur. Re-

---

(a) *Essai de l' Entend. Humain Liv.IV. Ch.IV.*

Respondeo a vero aberrare recensitam de *ἀσϛασίας impossibilitate* opinionem. Quod enim *absolute* impossibile est, ne a Deo quidem fieri potest: ut inferius demonstrabitur. Nullis vero limitibus Dei potentiam coërcet, qui Ipsum impossibilia praestare, & pugnantia secum frontibus adversis componere negat. Neque enim est divinae potentiae *objectum*, quod nihil est; cujusmodi sane est, quod idem simul sit & non sit. Hi quidem perinde magnifice de Deo loqui videntur, ac qui illius potentiam eo celebraret, quod possit facere *blitri*: quae vox nihil significat.

§. II.

De Principio Rationis Sufficientis.

Veritates, quas *contingentes* appellamus, Rationis sufficientis principio innituntur. *Ratio* autem *sufficiens* nuncupatur a Philosophis id omne, unde intelligitur, cur aliquid sit. Ex. gr. Inde apparet aquam e tubis superne clausis, si invertantur, non effluere, quod pressio aëris inferioris major est, quam pondus columnae aqueae in tubo contentae. Experimenta enim docent, quod si tubus duos & triginta pedes excedat, aqua quidem effluet usque ad pedum duorum & triginta altitudinem; propterea quia duae columnae, altera aëris, aquae altera, cum habeant eamdem diametron, ad hanc altitudinem aequilibrium servant. Pondus igitur columnae aëris, quae tubi orificio subjicitur, est Ratio sufficiens, cur aqua non effluat e tubis, qui ex parte una occlusi invertuntur.

Jam

Jam vero eam experimur Mentis nostrae indolem, ut nihil admittat, nisi unde illud sit assequatur. In naturae quidem effectibus rimandis non adquiescimus, nisi aliquid occurrat, unde veram illorum rationem deprehendamus. Quod si illam assequi non liceat, haud quidem ullam adesse negamus: sed eam nobis esse incompertam ingenue fatemur. Quae cum ita sint; hinc est, quod Philosophi asseverare non dubitent, nihil omnino esse sine Ratione sufficiente. Nimirum omnia, quae aeque esse ac non esse, aut hoc vel alio pacto esse possunt, ab aliqua ratione, cur potius sint, quam non sint; aut hoc magis, quam alio pacto sint, determinari oportere.

Rationis igitur sufficientis principium respicit essentiam, exsistentiam, possibilitatem &c. rerum omnium, sive spirituales illae sint, sive corporeae. Illud tamen advertatur necessum est, quod effectuum omnium, qui in hac rerum universitate producuntur, Ratio sufficiens dicitur quodcunque in caussa est, cur illi producantur: ita tamen ut deprehendere sit, quemadmodum effectum a caussa proficiscatur. At Ratio sufficiens, unde liberae caussae ad agendum sese determinant, sita est in boni & mali rationibus, quae in re objecta deprehendi possunt: & quae propterea proprio vocabulo *motiva* a Philosophis appellantur.

Ne qua porro difficultas ante, quam ad quaestionem probandam aggrediamur, vobis obversetur: illud primum planum faciam, quemadmodum fiat, ut stabilito Rationis sufficientis principio, Dei & hominis libertas incolumis perseve-

veret. Enimvero si tanquam exploratum statuatur Divinam atque humanam Mentem sine motivis ad agendum se nunquam determinare, forte quis suspicari poterit libertati officere hujusmodi motiva.

Verum omnis suspicio prorsus evanescit, si rem diligenter attendamus. Nam quod I. attinet ad humanam voluntatem: motiva, quibus illa agitur, ut sese determinet, ejusmodi non sunt, ut naturali quadam necessitate ipsa feratur. Motiva enim alia sunt *completa*, quae nimirum ita rem Menti objiciunt, ut nulla mali species ipsi inhaereat: alia vero *incompleta*, cum in re, quae Menti consideranda objicitur, aut boni defectus, aut mali ratio deprehendi potest. Incompleta porro motiva sunt, quae, cum aliis antecellunt, voluntatem determinant.

Jam vero potestas ad opposita, in quo sita est voluntatis libertas, nihil detrimenti patitur, cum a motivis incompletis voluntas ducitur. Haec enim ita Menti repraesentantur, ut nunquam motivis oppositis locum non relinquant. Licet igitur voluntas certo atque *ἀσφαλῶς infallibiliter*, nulla tamen naturali necessitate impulsa secundum motiva sese determinat. Naturali quidem necessitate voluntas determinatur, cum objectum totum explet ipsius appetitum. Explet autem, cum nulla ipsi inest ratio mali, aut defectus boni: cujusmodi est *bonum in communi*, & *Deus clare visus*. Atqui bona quaecunque peculiaria ita comparata sunt, ut quamvis in ipsis aliqua boni species appareat, mali tamen rationem, & boni defectum deprehendere possimus. Ea igitur

omnia

omnia naturali necessitate voluntatem ad se trahere nequeunt.

II. Quod vero ad Deum attinet: duplici e fonte motiva hauriri possunt, vel enim a rebus objectis desumuntur, & ea *objectiva* licet appellare: vel ex ipso agente proficiscuntur, & ea idcirco *subjectiva* nuncupamus. Cum autem dicimus nihil a Deo fieri sine Ratione sufficienti, ex motivis subjectivis illum determinari adserimus.

Deus enim rerum omnium rationes comprehendit, atque universa quae agit, ad seipsum veluti postremum rerum omnium finem referuntur. Ergo motiva, quibus sese ad agendum libere determinat, ex objectis desumere non cogitur: sed, ut qui sibimet ipse sufficit, ex infinita sui natura illa haurit. Haud igitur Rationis sufficientis principium Divinam laedit libertatem.

His itaque scrupulis evulsis, quam antea significavimus quaestionem, in proxima Propositione probandam suscipiamus.

PROPOSITIO. *Nihil est sine Ratione sufficiente cur potius sit, quam non sit.*

Demonstratur Propos. argumentis, quae vocant *indirecta*. Cuicumque enim hoc principium negandi libido est, is quidem non pauca *ἀδύνατα* & *ἀπροσδιόνυσα*, *impossibilia* atque *absurda* vera esse fateatur oportet.

I. Esto, nulla adsit Ratio sufficiens, cur aliquid potius sit, quam non sit; nihil igitur erit, unde intelligatur, cur hoc sit. Ergo propterea hoc exsistit, quod nihil erat, unde oriretur. Atqui hoc absurdum esse nemo non videt. Quis enim sanae mentis dixerit nihilum fieri, aut efficere aliquid? Ergo. Pro-

Propositum argumentum exemplo illustremus. Ponamus aquam frigidam calefieri. Si nulla suppetit ratio, per quam intelligere detur, cur aqua potius calida, quam frigida sit; nihil erit aut intra, aut extra aquam, cui calor acceptus referatur. Aqua igitur, quae modo erat frigida, calorem concepit, cum nihil esset, unde calor proficisci poterat. Aut igitur nihil in aqua calorem induit, aut nihil extra aquam illum effecit. Sed vulgo notum est axioma, *Nihili nulla sunt praedicata*.

II. Everso Rationis sufficientis principio veritas omnis uno duntaxat temporis momento consisteret. Rem enim eamdem perseverare, ac quae modo erat, in explorato habemus, dummodo nulla mutationis adsit ratio sufficiens. Atqui fieri potest, ut singulis momentis res mutationi subjiciantur, si quid sine ratione sufficiente esse potest. Ergo.

III. Eodem sublato principio nulla esset ratio, quare universam rerum compagem providentissimo supremae Mentis consilio conditam esse adsereremus. Nam res, quarum nulla est ratio sufficiens, esse possunt: nihil igitur prohibet, quominus & ipse Mundus nulla moderante natura, sed casu effectus esse dicatur.

IV. Si e medio laudatum principium eripias, nullum vigiliam inter & somnum erit discrimen: atque omnia in rerum natura perinde evenirent, ac quae in nescio quo mundo, quem cerebro calente effingimus, contingere jocandi caussa comminiscimur. Enimvero cum in somniis vanae finguntur species, ut nec pes, nec caput uni

uni reddatur formae: aut cum in Mundo commentitio ea omnia, quae aniles fabellae venditant, fieri narrantur; nulla sane ratio reddi potest, cur haec ita se habeant. Horum igitur similibus locus esset in praesenti rerum universitate, si cur singula fierent, nulla adesset ratio sufficiens. Hujusmodi argumentum e somno & fabuloso Mundo petitum etiam atque etiam premit Wolfius (a).

Quae vulgo objici solent eo potissimum respiciunt; quod falsum sit homines rationes consectari, cum quidpiam agendum sibi proponunt: tum etiam quod Rationis sufficientis principium Menti necessitatem inferre videatur.

Et I. ajunt. Voluntas non raro sine motivis sese determinat. Nulla igitur datur ratio sufficiens actuum nostrae Mentis. Antecedentis Propos. veritas ex intimo conscientiae testimonio aperte patet. Finge enim duos cuidam ejusdem pretii nummos offerri, ut alterutrum eligat, quaenam excogitari potest ratio, cur hunc, quam illum eligere ipse malit? Nullo igitur motivo impulsus alterutrum sumet. Ergo. Vulgaria haec sunt, sed quae Mentis nostrae indolem aperte produnt.

Respondeo. Impudenter nos provocant ad conscientiae testimonium, unde unusquisque monetur nunquam fieri, ut ipse aliquid agat, cujus si quis rationem sciscitetur, nullam praestare poterit. Quin imo adeo difficile est, aliquid sine motivis nos capessere, ut in rebus arduis cum nul-

(a) *Ontolog.* §. 77. 493.

nulla, qua ducamur, ratio nobis obverſetur, ad amicorum conſilia confugiamus.

At enim nonnunquam nulla eſſe videtur ratio, quare aliquid agamus. Verum cum deſunt rationes rebus ipſis intrinſecus, tum demum quaecunque vel levis ratio extrinſecus ſatis erit, ut voluntatem impellat: aut ſaltem conſuetudo agendi nobis familiaris ratio erit, cur aliquid prae alio ſeligamus. Hinc ille, cui duo nummi appoſiti ſunt, ut alterutrum accipiat, eum eliget, qui manui propior eſt, qua ſemper utitur, cum quid de menſa ſumere ſolet. Legatur Wolfius (*a*).

Quod ſi motiva, quae in rebus objectis deprehendimus, pari robore praedita ſint: voluntas ita anceps erit, ut in neutram partem propendeat, niſi qua accedat ratio, quae ipſam in unam potius, quam in alteram impellat. Statum hunc, quem vocant *indifferentiae*, nemo eſt qui perſaepe non experiatur.

Ajunt II. Nulla adeſt ratio, cur velimus ea, quae deteriora judicamus. Atqui fere ſemper licet meliora videmus, deteriora tamen ſequimur. Nullis igitur ducta rationibus ſaepe voluntas agit.

Reſp. Major diſtinguenda eſt: Sine motivis ſe Mens determinat, cum ea vult, quae deteriora judicat judicio *practico*, concedo; judicio *theoretico*, nego. Atque eodem pacto diſtinguenda Minor: Meliora videmus, deteriora ſequimur, quae ejuſmodi eſſe duximus judicio *theoretico*, concedo: judicio *practico*, nego. Plane conſtat volunta-

(a) *Pſycholog. Empirica* §. 899. 900.

tatem nihil amare, nisi quod per intellectum bonum esse deprehenderit : neque fieri posse, ut ipsa objectum malum propterea quod malum est, velit & amet. Verum Mens res objectas non uno pacto considerat. Eas enim generaliter & in se ipsis inspicere solet; in quo situm est judicium theoreticum. Easdem praeterea intuetur, prout ipsa versatur in eo statu, in quo agit; quod sane judicium practicum propterea dicitur, quod actionem proxime praecedat. Bonas igitur res quandoque Mens judicat generaliter inspectas: at si illas perinde inspiciat, atque ad suae conditionis statum, ad cupiditates, quibus tenetur, ad praejudicia, quibus imbuta est, illae spectant; bonas non esse judicat. Atque hinc est, quod licet objectum aliquod bonum esse judicemus, eo tamen posthabito aliud deterius amplectimur, quippe quod appetitui nostro magis, quam illud consentaneum ultimo judicio exhibeamus.

Ajunt III. Si voluntas non sine motivis se determinat, neque contra motiva se determinare poterit. Ergo motiva eam inferunt voluntati necessitatem, ut nihil illa velle possit, nisi quod ipsa objiciunt, quodque ipsa objecerint, omnino velle debeat. Voluntas igitur libera non erit.

Respondeo ex iis, quae antea in hanc rem diximus, perspicuum esse, nulla Menti veluti vincula injici, etiamsi rationibus ducatur, ut agat. Necessario enim secundum motiva se Mens determinaret, si nulla alia suppeterent motiva, quae in re objecta ab ipsa considerari possent. Verum penes Mentem est alia aliis omissis motiva inspicere, & pro diverso ipsorum genere

va-

varie se determinare. Quamvis igitur non sine motivis se determinet (quod sane ad ipsius dignitatem conducit), libere tamen se determinat.

Quod vero Mens nequeat agere secus, quam rationes suadent, verum est: dummodo aliae in re objecta deprehendi non possint, quae illis praevaleant. Hoc autem libertati non officit: quin etiam ipsius voluntatis ingenio est apprime accommodatum. Esto enim praeter motiva voluntas aliquid faciendum aggrediatur; id quidem Mens amplectetur, quod tamquam malum sibi repraesentat: atque aversabitur, quod ut bonum ipsa intuetur. Malum igitur prout malum est, amore, bonum prout bonum est, odio voluntas persequeretur. Id vero a voluntatis indole prorsus abhorrere in confesso est apud omnes. Quod igitur voluntas nec sine motivis, nec praeter motiva se determinare potest, tantum abest, ut libertatem laedat, ut maxime eam perficiat.

§. II.

De Criterio Veritatis.

Nihil equidem in rerum cognitione assequenda proficeret humana Mens, si nullae suppeterent notae, aut characteres, quorum ope vera a falsis, certa a dubiis internoscerentur. Quamobrem modo dijudicandum est, quinam sit character Menti ad rerum veritatem detegendam praelucens, quod Graeca voce *Criterium* appellatur.

Philosophi ferme omnes in eo conveniunt, ut veritatis Criterium in Evidentia statuendum esse existiment. Haec autem pro diversa cogno-

ſcendae veritatis ratione triplex eſt, *Metaphyſica*, *Phyſica*, & *Moralis*.

Evidentia Metaphyſica in ſcientiis purae, ut ajunt, intellectionis locum habet. Eſt autem ſumma illa perſpicuitas, qua attributum aliquod ſubjecto convenire aut repugnare cognoſcimus. Duplex porro eſt, alia quae dicitur *ſimplicis Intuitionis*, alia *Demonſtrationis*. Illa quidem habetur, quoties duarum vel plurium idearum convenientiam aut repugnantiam ſtatim, ac illae ſeſe nobis offerunt, uno mentis intuitu deprehendimus. Hujuſmodi ſunt Axiomata apud Mathematicos. Haec vero, cum idearum convenientia aut repugnantia e certis principiis neceſſaria illatione deducitur: uti Theoremata apud eoſdem.

Evidentia Phyſica obtinet in iis, quae ſenſibus percipiuntur. Ea autem ex conſtanti & manifeſto ſenſuum teſtimonio proficiſcitur. Ita duo corpora aequalia mole, at inaequalia pondere ſi in aquas demittantur, quod gravius eſt, velocius deſcendere, phyſica Evidentia conſtat. Nam clare & conſtanter eam eſſe naturae legem ſenſibus percipimus, ut quo ponderoſiora ſunt corpora, eo majori velocitatis gradu in aquas mergantur.

Evidentia tandem Moralis in iis verſatur, quorum cognitionem nec ratiocinii, nec ſenſuum opera, ſed aliorum teſtimonio comparamus. Innititur porro conſtanti & publico hominum teſtimonio. Ita Romam, poſtquam ſeptem Regibus paruit, regno ſublato a Conſulibus adminiſtratam fuiſſe, atque inteſtinis bellis agitatam in Caeſaris poteſtatem incidiſſe, evidentia conſtat morali.

Quaerunt Philoſophi, quaenam illarum ceteris an-

antecellat: & tum physicae, tum morali metaphysicam Evidentiam longe praestare communi sententia pronuntiant. Nam 1. metaphysica clarior est, atque interiori cernitur obtutu. 2. Quod metaphysicae veritati opponitur, *intrinsecus* & *absolute* impossibile est: quod autem physicae aut morali adversatur, *physice* duntaxat, & *moraliter* repugnat.

Verum illud advertatur velim, physicam scilicet & moralem ipsa metaphysica Evidentia fulciri. Nam 1. evidenter percipimus fieri non posse, ut sensus nobis a Deo attributi, quo externas res cognoscamus, & nos, & ceteros homines semper decipiant. Id autem in caussa est, quamobrem vera esse ducimus, quae luculenter & constantissime sensibus haurimus. Physica igitur evidentia Metaphysica innititur.

2. Constanti hominum testimonio fidem adjungimus, ducti Metaphysica evidentia. Nobis enim evidenter constat fieri non posse, ut homines aut locis aut aetate inter se dissiti, quique diversis semper studiis abripiuntur, in id tacite conspirent, ut commentum aliquod obtrudant. Quae igitur Moralis dicitur evidentia ad Metaphysicam revocatur.

PROPOSITIO. *Adest nobis veritatis Criterium, illudque in Evidentia situm est.*

Demonstratur pars prima Proposit. I. Sibi suaeque ordinatissimae providentiae legibus debet Deus, ut ea homini suppeditet, quibus consequi id valeat, ad quod propriae naturae conditione agitur. Atqui flagrantissimo veritatis inquirendae studio, quod nisi ab institutore naturae nobis con-

ſignari non potuit, unuſquiſque ſe incendi experitur. Divini igitur muneris partes ſunt, ut hiſce nos inſtruat auxiliis, quibus veritatem aſſequamur.

II. Veritatis amorem Deus ipſe nobis inſevit: Ergo & illius aſſequendae rationem praebuit. Si enim adipiſcendae veritatis arte deſtitutos nos voluit, vel impotens eſſet, vel nos inani appetitu miſere torqueri in deliciis haberet. Atqui id a tanta Dei praeſtantia & bonitate omnino alienum eſt. Ergo.

Demonſtratur pars altera. I. Illud veritatis Criterium appellamus, quo verum a falſo, certum a dubio ſecernimus. Hoc autem per Evidentiam aſſequimur. Ea igitur veritatis Criterium eſſe recte ſtatuitur. Minor prob. Vera a falſis, certa a dubiis id ſane diſcriminat, quod quae vera ſunt & certa ita Menti objicit, ut ea vera & certa non eſſe Mens ſibi perſuadere nequeat. Atqui unius Evidentiae character is eſt, ut Mentem ad aſſenſum impellat.

Et revera quis unquam ſuae Mentis compos non plane perſpicit omnino oportere, ut ſi duarum idearum relationem perſpicue intueatur, in ea perceptione adquieſcat? Quis non experitur internum quemdam ſtimulum, aut tacitas veluti rationis querelas non perſentiſcit, cum quod evidens eſt, verum eſſe fateri nolit? Adeo verum eſt, quod, appoſite Tullius (a), *ut neceſſe eſt lancem in libra ponderibus impoſitis deprimi; ſic animum perſpicuis cedere.*

Cum igitur id praeſtet Evidentia, ut quamma-

(a) *Lib. IV. Academ. cap. XII.*

maxime certos nos faciat attributum aliquod subjecto reipsa convenire aut repugnare; jure illa tanquam veritatis Criterio utemur.

II. Ad veritatis cognitionem comparandam insito quodam appetitu ferimur. Atqui si veri Criterium non esset Evidentia, h. e. si quae evidentia nobis obversantur, vera non essent; non modo innatum hoc desiderium nunquam expleretur, verum etiam ad falsa potius ageremur; quippe evidentibus natura cedimus. Una igitur Evidentia est, qua vera a falsis internoscere licet.

III. Evidentia, ut in se quisque experitur, vel invitos ad assensum impellit. Nos igitur aut ad veritatem, aut falsitatem amplectendam cogit. Si falsa nobis persuadet; Deus tanquam erroris auctor traducendus est; quippe ejusmodi nobis naturam indidit, ut evidenter perceptis assentiamur. Atqui id in divinam bonitatem cadere posse nemo dixerit. Sin autem vera sunt, quae evidenter percipimus; ergo veri Criterium Evidentia est.

§. IV.

Confutatur Scepticismus.

His de veritatis Criterio constitutis, facile est Scepticorum audaciam retundere, qui in veritatis perniciem veluti conjurati eam profligare quammaxime connituntur. Fuerunt enim olim ex Academia Philosophi, quibus & Pyrrhonici se adjunxerunt; qui, ut inquit Tullius (a), *nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt:*

(a) *Lib. I. Academ. cap. XII.*

runt: angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitae, & in profundo veritatem esse demersam: opinionibus & institutis omnia teneri: nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt.

Hi propterea *Sceptici* nuncupati, quod res duntaxat σκέπτονται *considerant*, nihil decernentes: *Acataleptici*, quod omne ἀκατάληπτον, *nihil* nimirum *comprehendi* posse dixerunt: *Ephectici* παρὰ τῷ ἐπέχειν, quippe *judicium* de omnibus *cohibebant*: *Aporetici* tandem, quasi dicas *haesitatores*, ut qui de omnibus rebus dubitabant.

Scepticorum autem vestigiis nuper institerunt Auctor libri *de Imbecillitate Mentis humanae*, quem Episcopo Abrincensi Petro Danieli Huetio ab aliquo Pyrrhonista falso attributum fuisse suspicatur Cl. Muratorius (*a*): & praeter ceteros Petrus Bayle, qui Scepticorum speciosiora argumenta collegit, exornavitque in *Diction. Historico-Critico*.

Horum igitur argumenta, sive potius delirantium somnia convellere instituti ratio suadet. Universa quidem ipsorum argumenta, quibus tot veluti machinis veritatem demoliri aggressi sunt, eo respiciunt, ut 1. nullum esse veritatis Criterium, 2. Evidentiam falsitati obnoxiam esse, 3. tandem nihil prorsus cognosci posse ostendant.

Age igitur in scenam Sceptici producantur. Hi quidem ita I. veritatis Criterium adoriuntur.

Ut vera a falsis internoscantur, aliquo criterio opus est. Ut autem hujusmodi criterium adipisca-

(a) *In Praef. lib. de Viribus Intell. Hum.*

ſcamur, verum a falſo criterio diſcernere oportet. Illud igitur prius quaerendum nobis eſt, num certos veritatis characteres criterium prae ſe ferat. Ergo criterii aliud criterium, atque hujus aliud praeterea, atque ita deinceps inveniatur oportet. Quo ſane pacto nec veritas, nec veritatis criterium poterit comparari.

Reſp. Negamus verum a falſo criterio eſſe diſtinguendum. Neque enim illud ejuſmodi eſt, ut niſi per longas ratiocinationes expiſcari minime poſſimus. Verum ita nobis praeſto eſt, ut attentam duntaxat Mentem poſtulet, quo illud aſſequamur. Id quidem unicuique inſpicere datur, ſi ad conſtitutam veri regulam, Evidentiam ſcilicet oculos intendat. Haec enim per ſe ipſa ita noſtrae Menti obverſatur, ut nulla dubitatione aeſtuantes illam certam eſſe veritatis comitem agnoſcamus. Ridemus igitur fallaces Scepticorum concluſiunculas non ſecus, atque riſu exciperetur, qui ut lucem intueamur, alia nos luce indigere contenderet.

II. Urgent nos Sceptici. Eſto inveniant tandem Philoſophi veritatis criterium: quale iſtud erit? Ferme omnes in triplici Rationis, Senſuum, atque Auctoritatis Evidentia tuto ſibi collocaſſe videntur. Atqui neque in Ratione, neque in Senſibus, neque in Auctoritate aliquod veritatis criterium ſtatui poteſt. Ergo.

Non in hominum Auctoritate, ut a poſtremo exordiamur. Hanc enim repetimus vel a paucis, vel a multis, vel ab omnibus. At hujuſmodi teſtimonium alicujus rei geſtae veritatem perſuadere nequit. Ergo.

1. Re enim vera difficile non est, ut non rara docent experimenta, paucos admodum deceptos esse sive sensuum fallacia, sive levibus conjecturis, sive tandem falsis adductos vulgi rumoribus.

2. Quod si paucis imponi potuit, potuit & pluribus. Non pauca suppeditat monumenta tum profana, tum Ecclesiastica historia, unde satis liquet plurima per longam aetatem tanquam vera habita fuisse, quae sero tandem Criticorum acies falsa esse deprehendit.

3. Quod vero ad consensum omnium spectat, qui rem aliquam gestam fuisse tradant: cum non omnes, sed pauci admodum, aut paullo plures rei gestae adfuerint; horum duntaxat ratio habenda est. Quis autem eos deceptos non fuisse plane sibi persuadeat?

His adde nullo pacto exploratum esse, quod quicunque rem aliquam narrant alios decipere noluerint: praesertim cum constet persaepe homines studium omnemque operam in aliis decipiendis collocasse, atque aniles fabellas pro veris historiis extrusisse.

Quae cum ita sint, humanae Auctoritatis testimonium infirmum prorsus esse ac suspectum colligunt Sceptici.

Respondeo haec omnia, quae tanto apparatu proferunt Sceptici, non modo puerilia esse & inepta, verum etiam falsa. Id primum ipsi advertant necessum est, non omne hominum testimonium tanti a nobis haberi, ut pro veritatis criterio adhibeatur: sed oportere, ut certos quosdam prae se ferat characteres, quibus legitimum ve-

veritatis fundamentum esse possit.

Nimirum his potissimum dotibus historici exornati esse debent, tum ut ipsi decepti non sint, tum vero ut alios decipere noluerint. Quae quidem si nobis constiterint; cur aliquis dubitationi locus esse possit, nullus video. At enim: hoc scilicet est, ajunt Sceptici, quare fidem hominum testimonio adjungendam esse negamus. Qui enim eos neque falli, neque fallere certo nobis constare poterit?

Atqui haec nobis explorata esse possunt. Et I. quod historicus deceptus non fuerit, inde colligere licet: 1. Si ea testetur, quae suis subjecta sensibus fuere. 2. Si ea referat, quae a suis popularibus, quos inter versatus est, visa, audita, percepta sunt. 3. Si ea quae narrat, sui vestigia & monumenta posteris animadvertenda reliquerint. 4. Si quae tradat, in publico hominum conspectu gesta sint, ita quidem ut eos omnes repugnantes offenderet, si res secus, atque evenerunt, recenseret. 5. Si ex publicis annalibus, quae refert, exscripserit. 6. Si nullo partium studio abreptus ea perhibeat, quae ad ipsum non pertinent, ita ut illius animum minime commovere potuerint.

II. Quod autem decipere noluit, satis id constat. I. Cum ea narrat, in quibus si mentitus esset, publicas querelas & contumelias in se excepisset. 2. Cum neque sua, neque suorum interest in aliqua re mentiri. 3. Cum ea suo operi intermiscet, quae sui suorumque popularium decus offendunt. 4. Cum non dissentit ab aliis historicis, qui per eamdem aetatem floruerunt.

5. Cum

5. Cum ea, quae scribit, non abhorrent a suae aetatis & patriae moribus, dictione, &c. 6. Cum loco, tempori, quo res evenisse narrantur, apte respondent.

His igitur de hominum auctoritate regulis constitutis, nugae sunt quae objiciunt Sceptici. Quamvis enim pauci sint, qui gestam rem aliquam nobis tradiderunt; dummodo tamen veri historici personam sustinere deprehendimus; fidem perinde illis adjungemus, ac si quae narrant nostris oculis usurpare contigisset.

Quod vero ajunt paucos aeque, ac plures decipi posse, falsum omnino est. Quippe magis acutum plures, quam pauci cernunt: atque opinionum commenta delet dies: veritatem vero magis magisque confirmat. Neque ad rem faciunt exempla, quae a veteri historia arcessunt. Nam id certe diffiteri non audent Sceptici, rei nimirum falsitatem a Criticis deprehensam fuisse. In quo quidem vineta caedunt sua. Cum enim rei alicujus falsitatem Criticos assecutos esse ajunt, licet inviti fatentur regulas nobis suppetere, queis aliorum testimonia perpendere, & verum a falso secernere possimus.

Quod tandem ad consensum omnium spectat, inepte garriunt Sceptici. Cum enim non pauci, sed plures, immo omnes, quotquot litteris res gestas consignarunt, rem eamdem, cujus omnes testes sunt, constanti & unanimi consensione recenseant: fieri nequaquam potest, ut universi veluti ex condicto in errorem conjuraverint. Neque obtrudant Sceptici variis homines distrahi cupiditatibus; quippe id majorem nobis ingerit fi-

fiduciam. Quid enim, ut ante innuimus, nisi ipsa rei veritas diversos hominum animos in idem conspirare adegisset?

At instant Sceptici. Ii omnes, quorum testimonium tanquam veritatis criterium suscipitur, jam supremum diem obierunt, testari igitur nequeunt. Quis enim vita defunctos testes produceret?

Respondeo defunctorum hominum testimonium potiori jure fidem mereri, quam si inter vivos versarentur. Quippe, dummodo integritatis fama superstes fuerit, certi sumus eos sese non revocasse. His adde, quod quae ipsi tradiderunt, verba non sunt demissa per aures, quae illico transeunt; sed oculis subjecta fidelibus manent communi consensione probata. Ceterum cum in comperto sit, genuina esse scripta, quae posteris transmiserunt; cum ea legimus, perinde prorsus est, ac si praesentes audiamus.

Quae adversus divinam Auctoritatem objiciunt Sceptici, ne in alienam messem falcem injiciamus Theologis discutienda relinquimus.

III. Pergunt porro Sceptici, ut quammaxime elevent sensuum testimonium.

Et 1. ajunt. Sensuum testimonium verum esse inde probatur, quod tanquam falsus Deus esset traducendus, qui corporum, quae nusquam sunt, nobis ideas ingereret. Atqui id omne infirmum est, & nimis probat. Ergo. A primis enim Mundi incunabulis ad nostram usque aetatem universi homines in ea fuerunt opinione, ut colores, odores, sapores rebus ipsis inesse existimarent. Id autem falsum esse politiores Philosophi docent.

Quod

dolere, similem vero dolorem experiri aliquem, cui manus abscissa jamdiu fuerat: si haec aliaque accurate perpendam, nae ego is non sum, ut easdem, quae a me percipiuntur, in corporibus qualitates inesse pronuntiem. At quo attentius corpora inspicio, eorumque ad meos sensus appulsus considero; eo difficilius est mihi persuadere, ut corpora reapse non exsistant, atque ea non sint, nisi aliqua Mentis meae perceptio.

Quamobrem fallaciae notam vitare atque effugere Deus non posset, si universa Mundi compago reapse nulla esset: licet homines non decipiat, quod hujusmodi nobis attribuerit sensus, quibus qualitates, quae corporibus non inhaerent, veluti ipsis inesse experiamur. Ita enim me comparatum esse sentio, ut quemadmodum non possum, quin corpora *sapida*, *colorata*, &c. mihi videri adseram, ita negare possim aliquid meae sensationis simile corporibus adhaerere. Verum mihi temperare non possum, quin pro explorato habeam reapse corpora esse; quorum ictus in proprium corpus excipiens certis quibusdam cogitationibus occupari persentisco. Jure igitur Deo fallacia adscribenda esset, si circa corporum exsistentiam falleremur.

2. Objiciunt Sceptici. Plura sunt, in quibus sensus nos decipiunt. Sensuum igitur testimonium fallax est.

Resp. Libenter concedimus sensuum testimonio interdum nos decipi, si singuli seorsum accipiantur, ac rationis ductu destituantur; quippe remus in aqua fractus apparet; turris, quae prope quadrata surgit, attritis procul angulis rotunda

cer-

cernitur; navi insidenti littus urbesque recedere videntur, &c. Verum negamus sensus semper nos fallere, aut falsa esse, quae ope sensuum constantissime omnes homines percipiunt.

Nonnulla igitur advertenda sunt, ne errandi occasionem nobis praebeant sensus. Et 1. curandum, ne sensus aliquo vitio laborent, sed integri atque incorrupti sint. Quare in subsidium etiam adsciscantur instrumenta, quibus eorum imbecillitas adjuvetur.

2. Intervallum inter corpora objecta & sensuum organa ipsorum potentiae sit consentaneum. Haec duo prosequitur Tullius (*a*). *Meo judicio ita est maxima in sensibus veritas, si & sani sunt & valentes, & omnia removentur, quae obstant & impediunt. Itaque & lumen mutari saepe volumus, & situs earum rerum, quas intuemur, & intervalla aut contrahimus aut diducimus: multaque facimus usque eo, dum aspectus ipse fidem faciat sui judicii.*

3. In rerum examine, si fieri poterit, plures sensus adhibeantur; ut omnis erroris suspicio auferatur.

4. Quod si plures sensus testes appellare non liceat, quia nimirum corporum qualitates sunt, quae unico sensu percipiuntur: eas sensu illo, quo hauriuntur, iterum ac tertio experiamur.

5. Tandem cavendum est, ne in iis, quae sensibus percipimus, praepropere judicemus. Omnium enim errorum origo non proficiscitur, nisi ex praecipiti Mentis consilio, quae sensibus regendis

(a) *Academ. Qu. Lib. IV. cap. VII.*

dis minime intenta perverse de rebus judicat.

Aiunt 3. Sceptici erroris caussam non ex regulis, quas negligimus, sed e sensibus esse repetendam, quippe qui omnino nos fallere debent. Nam veras corporum proprietates sensibus assequi non licet. Ita Ex. gr. cum oculi, veluti lentes opticae, alii aliis magis minusve convexi sint; quo majorem vel minorem convexitatem habent, eo majores vel minores exhibent rerum externarum imagines. Vera igitur rerum magnitudo oculis percipi nequit.

Respondeo neminem inficiari *physicam* & *absolutam* corporum magnitudinem, gravitatem, duritiem &c. nobis esse incompertam. Haec enim omnia *relative*, sive prout sensibus nostris apparent, cognoscimus. Verum inde neque ipsorum fallacia, neque inutilitas erui potest; quippe nihil hoc ab Auctore naturae fieri potuit aptius. Propterea enim nobis sensus attribuit, ut eorum opera quas cum nostro corpore externae res *relationes* habent, assequeremur: satis igitur est, ut tranquillam vitam agamus, si prout nobis apta, aut contraria esse sentimus, corpora cognoscamus.

IV. Rationis sive Metaphysicam Evidentiam ita impugnant Sceptici. Si Evidentia norma esset, qua vera a falsis discernerentur, nunquam ea duce in gravissimos errores laberemur. Atqui persaepe non paucos hujusmodi Criterio innixos errare videmus. Immerito igitur Evidentiae veri Criterium adscribitur.

Respondeo, immane interesse discrimen inter veri nominis Evidentiam, & falsam sive *putatam*, ut ajunt. Qui enim manifestos errores tuentur,

at-

atque ab Evidentia se duci clamant; hi quidem evidenter res percipere videntur: licet reipsa nulla adsit Evidentia. Facile porro est veram a falsa Evidentia distinguere; quippe haec ita Mentem afficit, ut ipsa assensum cohibere possit: illa vero Mentem cogit, & licet invitam ad assensionem impellit. Certus igitur Evidentiae character est *invincibilitas*, seu *resistendi impotentia*.

Haec autem resistendi impotentia *physica* & *antecedens*, non vero *moralis* & *consequens* sit oportet. Sunt enim nonnulli, quibus adeo brevis Mens est, ratio tam imbecillis, ita depravati affectus, atque animus praejudiciis imbutus, ut si quae ipsis vel modica luce perfusa, & levi momento munita objiciantur, consequenti & morali necessitate ad ipsis assentiendum abripiantur. Quod sane mirum non est: quippe quemadmodum infirmos oculos vel tenue lumen perstringit; ita his hominibus quae vix verisimilia sunt, invincibilia videntur.

Verum quivis intelligit resistendi impotentiam, quae hujusmodi originem habet, non esse nisi moralem & voluntariam. Quamobrem si in id sedulo incumbimus, ut judicandi libertatem augere studeamus, assensum usque sustinentes, donec nullo abrepti studio accurate, atque ad communem optimorum sensum res expendamus: tum demum nullo pacto fieri poterit, ut falsa Evidentiae imagine decipiamur.

V. Tandem Acataleptici impetum dant, ac nihil evidens, nihil certum esse, sed omnia ignorantiae tenebris sepulta jacere alte inclamant. Et 1. recentiores Pyrrhonistae Cartesii auctoritate ab-

abusi ita nos lacessunt. Nemo unus negaverit, omnia fore incerta, si nobis minime constet, utrum semper fallamur, necne. Atqui hoc latet adhuc. In tenebris igitur toti versamur. Et sane *infixa quaedam est Menti meae vetus opinio, Deum esse, qui potest omnia . . . . unde autem scio illum non fecisse . . . ut fallar, quoties duo & tria simul addo, vel numero quadrati latera, vel si quid aliud facilius fingi potest?* Cartesii verba sunt (a). Nullo igitur pacto in rebus ipsis, quas evidentissimas esse ducimus, minime nos decipi constare poterit.

Respondeo eam ipsam, quae animis nostris Dei summe potentis insedit opinio, & illud suadere, quod in iis, quae evidenter percipimus, non decipiamur. Nemo est qui negaverit falsi nullam esse scientiam & cognitionem; quippe falsum quod neque est, neque τῦ εἶναι *essendi* rationem complecti potest. Is igitur peculiaris est falsitatis character, ut eorum, quae falsa sunt, quae nimirum nulla sunt & nusquam, claras & perspicuas sibi fingere notiones Mens nequeat. Et sane quotusquisque erit, qui cum teneat, quid pars ac totum sit, quidve caussa atque effectus, partem toto majorem esse, effectum suam antecedere caussam evidenter percipiat? Contra veritas sibi constat, atque immutabilis est. Neque enim fieri potest, ut res eadem modo vera sit, modo rursus falsa. Ipsa igitur infinita supremi Numinis potentia rerum veritatem arbitratu suo fingere, ac mutare nequit. Quamobrem fieri

(a) *Medit. I.*

non potest, ut perspicuis atque evidentibus falsi notionibus animos nostros Deus informaverit.

Atque hinc est, quod licet haec animo inhaereat opinio, Deum scilicet suo cuncta decernere arbitrio; certus tamen sum, in iis, quae mihi evidentia obversantur, decipi non posse. Nam a divina potentia abhorret, ut falsa mihi persuadeat, quorum perspicuas atque evidentes notiones Mente complector.

Quae cum ita sint: non immerito viri docti Cartesium castigare videntur, quod nihil esse omnino certum docuerit, nisi antea Deum esse bonum & benignum in explorato habeatur. Quod enim forte Cartesius non advertit, haec ipsa sententia omnem prorsus nobis aditum intercludit, ut ad Dei summe boni cognitionem perveniamus. Nam ita ipse (a) Deum exsistere, atque ab omni fallendi voluntate alienum esse a nobis deprehendi docet: Me exsistentem cognosco; Deus igitur, qui me condidit, sit oportet. Rursus insitam in me Dei notionem esse percipio, quam ipsum omnino Deum auctorem habere potuisse cognosco. Quidquid igitur in ea clare ac evidenter cognosco, verum sit oportet. Atqui ex ea notione omnem fraudem ac deceptionem a Deo abesse deprehendo. Ergo Deum non esse fallacem comperio. Verum unde quaeso sciam, notionem illam Dei, tametsi evidentissima mihi videtur, fallacem non esse & commentitiam? Legite Cudworthum (b) atque ibi Moshemium.

Ob-

(a) *Medit. III.*

(b) *Syst. Intellect. Cap. I. Sect. I.* §. *94.*

Objiciunt 2. Nihil certi perciperemus, si cognoscere non liceret, num subjecto attributum aliquod conveniat, aut repugnet. Atqui... Ergo. Prob. Minor. Ut aliquid de re quapiam enunciemus, illius essentiam cognitam habeamus oportet. Essentia autem rerum omnium incomperta est. Ergo. His adde quod aeque nobis lateant naturae vires, ac plerique ipsius effectus. Neque igitur quid valere, neque quid efficere possit natura, nobis tuto adserere licet.

Respondeo falsum esse, quod ut attributum alicui subjecto adscribendum, aut abjudicandum esse sciamus, omnino oporteat, ut comperta nobis sit illius essentia. Quoties enim rei proprietates aliquas perspectas habemus, profecto nosse poterimus, num attributum aliquod ipsi rei conveniat, nec ne. Nam quemadmodum attributum cum aliqua rei proprietate pugnare aut componi posse deprehendimus: ita inde colligimus attributum illud rei convenire, aut repugnare. Sic quoniam in explorato nobis est Mentem cogitare, & materiam extensam esse: ex eo efficimus materiam cogitare non posse, quod cogitationem extensioni repugnare aperte perspicimus. Fieri quippe nequit, ut res eadem proprietates, quae secum pugnant, complectatur.

Quod vero incompertae sint naturae vires: fatemur quidem, ignotum nobis esse, quousque sese illae extendant; at quo ultra prodire nequeant aperte constat. Naturae autem effectus, qui ad nostram utilitatem minime conferunt, latere libenter damus; quippe cui bono horum effectuum scientia? At eos, qui ad usus, & vitae commo-

ditates quam maxime conducunt, fere omnes nobis compertos esse solus amens negaverit.

3. Tandem ajunt Acataleptici. Si quid certum esset, aut comprehendi posset, nulla esset inter homines de aliqua re dissensio. Atqui universa Philosophorum natio in contraria omnia scinditur; quod enim alius ait, negat alius: quod alius certum sibi esse profitetur, hoc alius certum sibi esse inficiatur. Penes quem igitur veritas stabit?

Ad haec innumera sunt, quae adhuc natura in profundo abstrusa coërcet: ita ut vix, aut ne vix quidem supersint, quae se scire jactitant Philosophi, licet ea nullo pacto assequantur. Nihil igitur certum, nihil quod comprehendi possit.

Resp. Pueriliter quidem faciunt Acataleptici. In iis enim, quae clare, atque evidenter percipiuntur, ad unum omnes unanimi consensione conspirant. Philosophorum vero controversiae rerum veritatem non respiciunt, sed in eo versantur, ut earumdem caussas inquirant.

At enim multa sunt, quae latent adhuc: non diffitemur, dummodo & ipsi fateantur, multo plura esse, quae nobis comperta sunt. Quin imo si hoc *latere* ajunt, quod est non *adaequate* res cognoscere, ne tam alte inclament: ignorantiam ingenue fatemur. Neque enim eam Menti humanae perspicientiam vindicamus, ut intimas rerum essentias persecare, aperire, ac dividere possit, atque adaequate omnia noscere.

Verum quod nihil certi percipi possit, hoc scilicet est, in quo Acatalepticos insanire sollemnia pronuntiamus. Longum enim esset ea omnia re-

recenſere, quae tam certo ſcimus, ut de iis vel minimum dubitare non liceat. Verum Acatalepticos ſciſcitari liceat, num cum ipſi nihil comprehendi poſſe aiunt, id ipſum comprehendant, nec ne. Si percipere ajunt; eſt igitur quod percipi poteſt; temere igitur nihil comprehendi poſſe pronuntiant. Sin autem ne hoc quidem excipiunt, qua igitur audacia quidquam eſſe negant, quod percipiatur, cum hoc ipſum minime percipiant?

§. V.

De prima Veritate cognita.

QUaerunt Philoſophi, quaenam inter veritates, quas cognoſcimus, prima omnium noſtrae Menti occurrat: atque in ea ſtatuenda in diverſa omnia abeunt. Sunt qui Ariſtoteli adhaerentes Contradictionis Principium, de quo ſuperius verba fecimus, primum nobis innoteſcere contendunt. Carteſius vero axioma illud *Cogito, ergo ſum*; primum nobis ſeſe offerre voluit. Aliis placuit hoc, *Quidquid eſt, eſt*, aliis autem illud, *Quodlibet eſt, vel non eſt*.

Quid in tanta opinionum varietate? Nempe illud antea definiendum puto, unde humana cognitio exordium ſumat, quae ſcilicet prius Mens percipiat, ſingularia ne, an vero univerſalia; tum etiam qua cognitione circa ea primum verſetur. His enim expenſis facile eſt, ut veritatem, quae prima ad intuendum nobis proponitur, deprehendamus.

PROPOSITIO I. *Mens ſingularia prius cognoſcit.*

Prob. I. Omnis noſtra cognitio e Senſu tum

intimo, tum externo originem ducit. Quae autem duplici huic Sensui subjiciuntur, singularia sunt. Singularia igitur prima omnium Menti cognoscenda obversantur. Major demonstrabitur, cum in Psychologia de Idearum origine disseremus.

II. In ea primum Mentis oculos intendimus, quae nos afficiunt. Quibus autem afficimur, reapse exsistant oportet; quod enim nusquam est, affectionem aliquam sive animae, sive corpori inducere nequit. Sed universalia non exsistunt, quippe quae sunt *Entia rationis*, ut Scholae ajunt. Igitur singularia prius, quam illa cognoscuntur.

III. Ea primum cognosci nequeunt, quae ex aliorum cognitione proficiscuntur. Sed universalium cognitio enascitur e particularibus: ut ex iis, quae in Logicis de Mentis abstractione diximus, aperte patet. Haud igitur universalia, sed singularia priora cognoscuntur.

PROPOSITIO II. *Per characteres communes res prius cognoscuntur.*

Prob. I. Ii characteres primum nobis in qualibet re affulgent, qui majore, quam ceteri, luce veluti Mentis oculos feriunt. Atqui hujusmodi sunt notae, quas singulae quaeque res cum aliis communes habent. Mens igitur prius per characteres communes, quam peculiares objectas res intuetur.

Porro id nemo in dubium revocaverit, qui 1. Mentis nostrae imbecillitatem secum reputet. Non enim tam acris est ipsius acies, ut statim, ac rem quampiam intuetur, privatas omnes notas, queis illa a ceteris discriminatur, deprehendere possit.

2. Qui

2. Qui illud attendat, quod res perinde a nobis cognoſcuntur, atque nos afficiunt. Objecta autem tum Mentis oculis obverſantur, tum in corporis ſenſus ita incurrunt, ut antea proprietates communiores, quam peculiares exhibeant. Hinc igitur fit, ut qualitates in rebus objectis, quae ipſas minus definiunt, quam quae magis determinant, prius cognoſcamus.

Et re quidem vera cum quidpiam eminus apparet, prius deprehenditur illud corpus eſſe, quam animal: prius animal, quam homo: prius tandem homo, quam quivis certus homo. Nimirum primae rerum cognitiones obſcurae ſunt.

Facile autem eſt haec cernere in primis puerorum aetatulis. Eos enim niſi communiores rerum notas perſpectas non habere vel illud argumento eſt, quod ſingulos quoſque obvios patris, aut matris nomine ſalutant; quippe prius hominem a non homine, quam hunc aut illum ab alio diſtinguant.

II. Cum quidpiam primum cognoſcit intellectus, *a potentia*, ut ajunt, *tranſit ad actum*. Is autem eſt ordo, cum aliquid a potentia ad actum procedit, ut antea ad imperfectum, quam ad perfectum actum perveniat. Atqui Intellectus completus actus eſt, cum diſtincte ac determinate rem deprehendit: imperfectus vero, cum eam obſcure cognoſcit. Prius igitur obſcure, h. e. per characteres communes, qui minus rem definiunt, quam per proprietates peculiares magis rem determinantes ab intellectu res cognoſcuntur. Legendus in hanc rem D. Thomas (*a*).

(a) *I. P. Qu. LXXXV. Art.* 3.

PROPOSITIO III. *Se ipsam exsistere Mens primam cognoscit.*

Prob. I. Illud primum omnium cognoscimus, quod magis nobis intime adhaeret. Sed nihil Menti magis intimum est, quam ipsa sibi Mens sit. Antequam igitur alia Mens cognoscat, seipsam viventem, atque exsistentem novit.

II. Quemadmodum oculis ea primum perlustramus, quae nobis praesentia sunt: ita quae Menti praesentia obversantur, ea prius Mens intuetur. Seipsam igitur, qua nihil est praesentius, intrinsecus Mens videt. *Quid enim tam cognitioni adest, quam id, quod Menti adest? aut quid tam Menti adest, quam ipsa Mens?* ut Augustini verbis utar (*a*).

III. Illa inter alias cognitiones principem sibi locum vindicare dicenda est, a qua ceterae quaecunque cognitiones dependent. Atqui quod alias veritates percipiat, sibi Mens persuadere non posset, nisi prius seipsam exsistere agnosceret. Prius igitur, quam alio Mens oculos intendat, hanc veritatem percipit, quod ipsa exsistat.

At enim si quod Mens primum cognoscit, est sui ipsius exsistentia: hoc erit primum cognitionis principium. Cur igitur Contradictionis principio principem locum vindicavimus?

Verum si primi principii nomine intelligas, quod primum Menti occurrat, cognitio propriae exsistentiae primas obtinebit. At si veniat illud, unde nostrarum cognitionum veritas proficiscitur, Contradictionis principio primas partes esse ad-

(a) *Lib. X. de Trin. cap. VII.*

adscribendas superius proposita argumenta suadent. Ceterum Mens cum seipsam novit, per communem exsistentiae characterem se novit. Quare quemadmodum ita se exsistere sentit, ut simul se non exsistere sibi persuadere nequeat: ita fieri non posse, ut quodcunque exsistit, simul non exsistat, aperte deprehendit.

CAPUT II.

De Ente, ejusque Formis.

Quod Graecis Philosophis Ὄν, Latinis jam tum a Quintiliani aevo *Ens* appellatur, vox simplex est ac primigenia, quae per alias definiri voces haud potest. Ens *quod est*; huic *Nihil* opponitur, *quod* nimirum *non est*. Prima positiva notio est, altera negativa; quippe negat quod est. Hinc notio Nihili *directe* negationem, *indirecte* Ens, quod negat, complectitur. Vulgo tamen ajunt, Nihilo nullam respondere notionem, Nihili nulla esse praedicata: quia scilicet notionem & praedicata, quae affirmat, minime continet aut exprimit: verum quae negat, indirecte notat.

Cum Ens generatim accipitur, omnia sane *transcendit*, ut Scholae loquuntur, ὁ πᾶσιν ἐπόμενον, per omnes nimirum res vagatur, eadem ratione, qua Nihil. Cum vero particulatim, ad ea, de quibus sermo est, contrahitur.

Ens generatim acceptum vel ad Essentiam, vel

vel ad Exsistentiam exprimendam refertur: nimirum in Ente duo primum consideranda sese nobis offerunt, id quod aptum est, ut sit, quod *Essentiam* dicimus, atque ipse *τῷ εἶναι essendi* actus, quam *Exsistentiam* nuncupamus. Quoniam autem essendi, atque exsistendi ratio varie considerari potest; hinc 1. Ens dividitur in *Reale*, aut *Rationis*: 2. *Possibile*, aut *Impossibile*: 3. *Necessarium*, aut *Contingens*: 4. *Substantiam*, vel *Accidens*.

§. I.

De Essentia atque Exsistentia.

I. Essentia definitur *id per quod res est id, quod est*. Multiplex distinguitur, alia *Physica*, alia *Logica*, alia *Metaphysica*.

Prima est id, per quod Ens intrinsecus tale, ac est, constituitur, non aliud. Itaque complectitur proprietates omnes, quae certum quoddam Ens constituunt ac determinant.

Altera est id, per quod Ens a nobis Mente concipitur tale, & non aliud. Comprehendit igitur non omnia, sed ea tantum attributa, quae a nobis in Ente cognoscuntur.

Tertia tandem est id, quod primum in Ente concipitur, attributum scilicet illud, quod in Ente primum est, & a quo reliqua deinceps, quae illius sunt propria, derivantur.

Ex hac porro triplici Essentiae notione colligendum est, nos cum incompertas esse rerum essentias dicimus, *reales* sive physicas, non vero no-

nominales essentias intelligere. Quamvis enim rerum omnes omnino proprietates perspectas non habemus: pleraque tamen earum attributa satis adsequimur. Quae igitur inter rei proprietates ejusmodi est, ut ceteras omnes quasi radix & fundamentum quodammodo complectatur; hanc, cum alia non suppetit, Essentiam nominamus.

Jam vero rerum Essentiae dupliciter inspici possunt, vel prout in Mente Dei continentur, vel prout extra Deum exsistunt. Illae quippe sunt *ἀρχέτυπα*, *primigeniae* scilicet Entis *imagines* Intellectui Divino praesentes, aeternae sunt atque immutabiles: hae vero, cum sint eductae res extra sui nihilum, atque extra suas caussas jam constitutae, mutationi subjiciuntur.

Cave autem tibi persuadeas *intelligibiles* rerum essentias in Divina Mente sic exstitisse, quasi creatae res ab aeterno habuerint nescio quam *ἐνδόμυχον entitatem*, ut quibusdam visum est, quam *Ens diminutum* appellant. Neque existimes eas fuisse veluti substantias quasdam incorporeas ab ipso Deo sejunctas & separatas; quam sententiam Platoni nonnullos adscribere in Synopsi Histor. animadvertimus. Etenim rerum omnium essentiae *objective* atque *eminenter*, ut ajunt, in Deo sunt, quatenus Divino Intellectui obversantur, atque infinita sua virtute iis omnibus Deus aequivalet.

II. Exsistentiam vulgo definiunt *id per quod aliquid revera exsistit, atque est extra suas caussas*. Duplex autem distingui solet, *possibilis*, & *actualis*. Prima est, cum Ens, quod propterea dicitur *δυνάμει*, seu *potentia*, sufficientem exsistentiae suae rationem in alio Ente habet. Altera

ve-

vero, cum Ens *ἐνεργείᾳ actu* eſt extra ſui cauſſam.

Ratio porro exiſtendi non una eſt. Ens enim aut exſiſtit *per eſſentiam* ſive *a ſe*; aut non item, ſive *ab alio*. Per eſſentiam exſiſtere dicitur, quod ita exſiſtit, ut ipſa ſua eſſentia ſit ratio, cur exſiſtat. Quod unius Dei proprium eſt. Contra Ens ab alio, ſeu, quod per ſuam eſſentiam non exſiſtit, eſt quod in ſua eſſentia rationem, quare exſiſtit, minime complectitur; cujuſmodi ſunt res omnes creatae.

§. II.

De Ente Rations & Reali.

ENs *Rationis*, ſeu *intelligibile* vocatur illud, quod a ratione, h. e. Mente pendet, ut exſiſtat: ſive reapſe ab ea efficitur, ut univerſi noſtrae Mentis actus: ſive in Mente tanquam in ſubjecto inhaeret, veluti omnes ipſius affectiones: ſive tandem ut Ens a Mente concipitur, licet reapſe non exſiſtat; cujuſmodi ſunt ideae omnes factitiae, abſtractae, univerſales &c.

Contra Ens *Reale* eſt illud, quod non modo *τὸ εἶναι νοητόν*, *eſſe* nimirum *intelligibile* habet, verum etiam *θετικόν poſitivum*; ſive actu ſit, ſive ſaltem eſſe poſſit.

§. III.

De Ente Possibili & Impossibili.

POssibile dicitur quidquid non est, sed esse potest. Possibilium duo statuuntur genera. Alia enim dicimus *intrinsecus* & *absolute*, alia vero *extrinsecus* & *relative* esse possibilia.

Primo sensu possibile dicitur id omne, quod nullam contradictionem complectitur: veluti *figura chiliogona*, *alter Mundus* &c. absolute possibilia sunt, quippe non repugnant.

Altero vero sensu possibile vocatur, si referatur ad caussas, a quibus effici potest. Cum autem duplex sit caussa, unde aliquid, quod non est, esse potest, φυσικὴ una sive *naturalis*, ὑπερφυσικὴ sive *supernaturalis* altera; ideo aliud est *naturaliter*, aliud *supernaturaliter* possibile. Hoc quod naturae vires prorsus excedens sola Dei virtute esse potest: illud autem quod naturae viribus effici potest.

Possibili adversatur Impossibile, quod nimirum exsistere nequit; ejusque totidem sunt species, quot Possibilis enumeravimus. Intrinsecus enim impossibile est, quod repugnat, seu contradictionem complectitur, veluti *Circulus quadratus*, *Mons sine valle*, &c. Extrinsecus vero impossibile, quod neque a Deo, neque a naturali caussa fieri potest.

Praeterea dicitur impossibile *moraliter*, quod intrinsecus quidem possibile est, attenta tamen hominum indole nunquam usuvenit; veluti ho-

mi-

minem sui compotem mortem sibi consciscere.

Illud vero hic animadvertendum est, *absolute* impossibilia esse etiam *relative* impossibilia, ita sane, ut ne Divinae quidem potentiae subjiciantur. Divinae enim potentiae ratio essentiae Dei innititur. Atqui Deus omnes per singulas rerum species dispersas *τὸ εἶναι essendi* rationes complectitur. Quidquid igitur Entis rationem habere potest Dei essentia comprehendit. Quod autem *intrinsecus* est impossibile rationi Entis opponitur; est enim nōn Ens, nihil. Id igitur Divinae potentiae non subjicitur: propterea quod potius illud fieri nequit, quam quod Deus facere non potest. Ita D.Thomas; quem consule (*a*).

§. IV.

De Ente Necessario, & Contingente.

NEcessarium definitur *id*, *cujus oppositum est impossibile:* h. e. quod non potest non esse. Multiplex distingui solet, *necessarium exsistentiae*, & *necessarium essentiae: necessarium ad exsistentiam*, & *necessarium ad essentiam*.

Necessarium exsistentiae est, quod a seipso est, nullamque exsistentiae suae caussam habet. Necessarium autem essentiae, quod essentiam habet immutabilem; cujusmodi est solus Deus.

Necessarium ad exsistentiam vocatur id, sine quo aliud exsistere nequit. Necessarium vero ad essentiam id, sine quo rei essentia consistere nequit,

(a) *I. P. Qu. XXV. Art. 3. & 4.*

quit, seu illud omne, quod nunquam sine essentiae jactura a re divelli potest. Ita necessarium est, quod duo trianguli latera tertio majora sint utcunque sumta; id enim nequit a triangulo divelli, quin illius essentia pereat.

Haec autem ejusmodi necessaria sunt, ut contrarium *absolute* sit impossibile. At vero est aliud necessarium, cujus oppositum *hypothetice* duntaxat, aut *moraliter* est impossibile. Quod propterea necessarium *hypotheticum*, aut *morale* appellatur.

Porro Ens contingens dicitur, quod ita est, ut possit non esse: vel quod ita non est, ut possit esse; cujusmodi sunt res omnes creatae, & possibiles, quae ut sint, nec ne, extrinsecus pendent a caussa agente.

Jam vero ex traditis Necessarii & Contingentis notionibus efficitur, 1. ut Ens necessarium sit *immutabile*. Omnis enim mutatio in caussa est, cur aliquid non sit, quod antea erat. Atqui Ens necessarium ita est, ut nequeat non esse id omne, quod est. Nullam igitur subire potest mutationem.

2. Ut Ens necessarium sit *aeternum*. Aeternum est quod initium & finem excludit. Si autem Ens necessarium non esset aeternum, ita quidem esset, ut potuisset olim, vel posset aliquando amplius non esse. Ergo necessarium non esset.

3. Ut Ens necessarium sit *perfectissimum*. Si enim non esset ab omni parte perfectum, perfici posset; igitur mutabile; non igitur necessarium.

4. Ut Ens contingens sit mutabile, non aeternum, atque imperfectum. Illud enim est ab alio,

alio, atque ita eſt, ut poſſit non eſſe. Cum igitur exſiſtendi neceſſitatem non complectatur, natura ſua in nihilum redire poteſt; mutabile igitur. Deinde cum ſit ab alio, ab eo pendet, tum ut primum, tum ut poſtea exſiſtat; non igitur aeternum. Si non aeternum; ergo imperfectum. Haec autem reciprocari clare patet: nimirum mutabile, non aeternum, imperfectum eſt contingens.

5. Contingentium ſeries infinita eſt impoſſibilis. Nam quodlibet contingens ita eſt, ut poſſit non eſſe. Omnia igitur entia, unde ſeries illa componitur, ita ſe haberent, ut non eſſe poſſent. Ipſa igitur ſeries ita eſſet, ut poſſet non eſſe; ab alio igitur penderet, ut eſſet. Si eſt ab alio, initium habet. Non igitur infinita.

6. Exſiſtunt contingentia. Omnia enim hujus rerum univerſitatis entia aut non ſunt omnino perfecta, aut ſunt compoſita & mutabilia. Ergo contingentia.

7. Exſiſtit Ens neceſſarium. Exſiſtunt contingentia. Atqui repugnat ſeries contingentium infinita, quae Ens neceſſarium excludat. Ergo.

§. V.

De Subſtantia & Accidente.

SUbſtantiae vocabulo ea communiter ſubjicitur notio, ut Ens ſignificet, quod per ſe conſtat; atque ut ſit & conſervetur, ab alio Ente, tanquam ſubjecto, cui inhaereat, non pendet.

Quae ſane in Scholis uſurpata definitio ſatis ex-

exprimit Substantiam esse quodcunque *propriam habet exsistentiam*, *seorsum exsistit*, *cujus* tandem *exsistentia non eadem est*, *atque cujuslibet rei exsistentia:* ut fusius in Logicis Cap. I. §. V. ubi etiam de Accidentibus verba fecimus.

CAPUT III.

De Attributis Entis.

§. I.

De Unitate.

OMne Ens *unum* est, h. e *indivisum in se*, *atque ab aliis distinctum*. Veluti si triangulum Mente revolvam, ita illud unicum deprehendam; ut servata eadem magnitudine in duo triangula secari nequeat.

Ens porro vel est *unum simplex*, vel *unum compositum*. Illud est, cujus nullae sunt partes inter se distinctae: hoc autem, quod ex aliqua partium compositione coalescit. Partes vero dicuntur, quae coagmentatae totum aliquod constituunt.

Cum igitur quales sunt partes, tale est totum inde conflatum; quatuor idcirco *unius compositi* genera vulgo distinguunt, *Physicum*, *Mathematicum*, *Metaphysicum*, & *Logicum*: pro diversa nimirum partium specie, quae Physicae, Mathematicae, Metaphysicae, vel Logicae esse possunt.

Partes Physicae vocantur, quae reapse inter se distinctae sunt, atque ad totius essentiam pertinent: veluti *Anima* & *humanum Corpus* in Homine.

Partes Mathematicae dicuntur, quae separari possunt, & ad totius integritatem spectant: cujusmodi sunt *manus*, *crura*, *pedes*, *ceteraque membra* in Homine.

Partes Metaphysicae sunt, quas in Ente quolibet inesse, veluti *Essentiam*, atque *Exsistentiam* Metaphysici considerant.

Logicae tandem partes sunt notiones quaedam Mentis, quas Logica spectat, quales sunt *Genus* & *Differentia*.

His quatuor Compositis adversatur Simplex, quod prout omnes, aut aliquas partes excludit, ita hoc, vel illo sensu Simplex vocatur. Ita Mens humana dicitur *Unum simplex*, quippe partibus Physicis & Mathematicis caret. Deus vero est, & dicitur *Simplex*, tum quia a Physica, & Mathematica, tum etiam quia a Metaphysica, & Logica compositione liber est.

Unitas praeterea dividitur in *Numericam*, & *Specificam*. Illa est cujusque singularis Entis, veluti *Caji*, & *Titii*, quorum uterque seorsum unus homo est. Haec vero est eorum Entium, quae ad eamdem speciem attinent. Ita Essentia omnium Circulorum dicitur *una*; non quod sit unica numero in omnibus circulis essentia; esset enim unus in rerum universitate individuus circulus; sed quia omnes circuli eadem essentiali proprietate praediti sunt.

§. II.

§. II.

De Individuo, Supposito, & Persona.

Individuum vocatur Ens singulare, quod nimirum in plura talia, quale ipsum est, dividi nequit. Distinguendum porro est id, quod *naturam individuam* vocamus, ab eo, quod *Individuum naturae* dicimus.

Naturae individuae nomine intelligitur res singularis, determinata. Individuum vero naturae est id, quod *Suppositum* & *Persona* a Philosophis nuncupatur. Suppositum enim non modo Ens singulare & a ceteris distinctum exprimit: verum etiam Substantiam significat, quae est *sui juris, atque integrum principium suarum omnium actionum atque affectionum*. Quod si haec substantia sit rationis particeps, proprio vocabulo *Persona* nuncupatur. Hinc illa Boëtiana Personae definitio: *Naturae rationalis individua substantia.*

Nova porro est Personae notio, quam invexit Lockius, & quam in *sui ipsius conscientia* constituit. Ita quidem ipse rem exponit. (*a*) Quodlibet Ens cogitans & rationis particeps, cui *Personae* vocabulum proprium est & peculiare, ita comparatum est, ut seipsum idem, quod per varia temporis & loci intervalla cogitaverit, intueri possit. Id autem ex eo proficiscitur, quod suarum omnium cogitationum atque actuum con-

(a) *Essai de l'Entendem. Humain Liv. II. ch. XXVII. §. 9.*

ſcium illud eſt, ea quidem conſcientia, quae certa comes ſingulas ſequitur illius actiones. Hujusmodi porro conſcientia eſt, qua ſinguli homines ſibi ipſi iidem prorſus videntur, & qua ipſi ab alio quovis cogitante ſeparantur. In ea igitur ſita eſt quae dicitur *Perſonalis Identitas*.

Verum in eo peccat Lockius, quod in conſcientia, per quam Perſona ſuae identitatis certa eſt, Perſonam ipſam conſtituit. Propterea enim unicuique noſtrum perſuaſum eſt, ſe eamdem eſſe Perſonam, ac quae antea fuit, quod praeteritarum cogitationum eadem conſcientia nobis conſcii ſumus, quam alicujus cogitationis in praeſens habemus. At nemo non videt eas eſſe conſcientiae partes, ut per ipſam unusquisque propriam identitatem aſſequatur: qua nimirum fit, ut quodlibet Ens rationis particeps ſe eamdem eſſe perſonam cognoſcat.

Quorſum igitur haec nova Perſonae definitio praeter communem omnium ſententiam? Quivis ſane potiſſimum e populo vehementer mirabitur, ſi toties in ipſo mutatam fuiſſe perſonam, ſeu occidiſſe, atque iterum rediiſſe dicas, quoties praeteritae conditionis cepit illum oblivio, & obliteratam memoriam ipſe revocavit.

§. III.

De Identitate & Diſtinctione.

Res dicitur *eadem*, cum loco, aut tempore mutato ipſa nulli mutationi obnoxia perſeverat. *Identitas* igitur eſt relatio Entis ad ipſum

ipſum non mutatum, quamvis locus, vel tempus commutetur. Nimirum cum Ens quodpiam conſideramus, quod hoc horae momento, his loci intervallis exſiſtit; illud deinde ad illud ipſum referimus, ſi diverſis loci, aut temporis intervallis exſiſtat.

Porro Identitatis notio non una eſt. 1. Etenim *idem* eſſe aeque valet, ac perſeverare in exſiſtendo. Ita Mundum, in quo in praeſens verſamur, *eumdem* eſſe dicimus, qui abhinc mille annos fuit.

2. Identitas nonnunquam eo ſenſu uſurpatur, ut res *eadem* eſſe exiſtimetur, ſi non modo exſiſtere perſeverat, verum etiam nullam ſuae conditionis viciſſitudinem ſubiit.

3. Idem aliquando *ſpecie* eſt, non *numero*. Ita aquarum congeries, quae hodie hoc concluſae alveo fluunt, idem *ſpecie* fluvius dicitur, ac quae ſexcentis abhinc annis fluxerunt: at aqua fluminis *numero* eadem non eſt; quippe alia aliam ſemper ſupervenit.

Huc pertinet pervulgatum illud Axioma, *Quae ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe:* eadem nimirum in eo duntaxat, in quo cum tertio conveniunt. Hinc eadem definit Wolfius *quae ſibi invicem ſubſtitui poſſunt ſalvo quocunque praedicato* (*a*). Ita duo pondera eadem eſſe dicimus; ſi in locum alterutrius, quod cum alio aequilibrium ſervat, alterum incolumi aequilibrio ſubſtitui poteſt.

Identitati opponitur *Diſtinctio*, quae duplicis

 eſt

(a) *Ontolog.* §. 181.

est generis : altera τῷ πράγματι sive *Realis*, κατ' ἐπίνοιαν sive *Rationis* altera.

Distinctio realis est, quae in re nemine cogitante reperitur. Ea igitur inter illa intercedit, quae reapse separata exsistunt, vel separari possunt. Ita Solem inter, & Lunam, Mentem, & Corpus hominis &c. realis datur distinctio.

Distinctio rationis est, quae a Mente excogitatur in iis, quae revera non sunt distincta. Est autem duplex, altera, quam vocant *rationis ratiocinatae*, altera *rationis ratiocinantis*.

Prima locum habet in una eademque re, quam ita Mens considerat, ut plura veluti distincta contempletur, vel ob illius perfectionem *eminenter* multiplicem, vel ob varios, quos praestat effectus, vel ob diversa munera, quae fungitur. Ita idem frumentum modo *fructum* vocamus, modo *semen*, ac rursus *alimentum*. Fructus enim rationem distinguimus, tanquam finem antecedentis agriculturae : seminis vero, tanquam futurae initium : alimenti porro, tanquam aptum ad incrementum comedentis corpori praestandum. Ita quoque in Sole distinguimus vim, qua calefacit, ab ea, qua corpora illustrat.

Hujusmodi autem distinctio licet sit duntaxat penes Intellectum, in re tamen, ut ajunt, *fundamentum habet*, rei scilicet ipsi innititur; quippe quae ejus est naturae, ut pluribus aequivaleat, sive plures praestet effectus.

Distinctio vero Rationis Ratiocinantis sine aliquo fundamento, sed ex solo Mentis arbitrio fingitur, quae rem distinctis perceptionibus apprehendit, quamvis nulla idearum diversitas ex

ipsa

ipsa re objecta erui possit. Veluti cum in una eademque re rationes *subjecti* & *praedicati*, *generis* & *differentiae* veluti diversa attributa distinguimus.

Hisce Distinctionum generibus aliam addunt nonnulli, quam *formalem* appellant; eamque locum habere docent inter duas *formalitates*, essentialia scilicet rei attributa.

Nimirum ea est ipsorum opinio, ut in re quapiam sicut duplex *identitas* considerari potest, *realis*, cum unum attributum de altero adfirmatur, & *formalis*, cum unius essentia constituitur per alterum: ita & duplex adsit distinctio duplici huic identitati opposita. Quamobrem ajunt in una eademque re simul componi identitatem *realem*, & distinctionem *formalem ex parte rei*; quippe ex duobus ejusdem rei attributis unum de altero adfirmari potest, cum tamen unum in suo esse non constituitur per alterum.

Hoc subtile Distinctionis genus, quod ea de caussa potissimum commenti sunt, ut ea, quae in augustissimo Trinitatis Mysterio contraria videntur, conciliarent, licet irrito conatu, in res Metaphysicas etiam invexerunt. Si hujusmodi tricas persequi vacaret, commentum hoc refutaremus. Verum id monuisse satis erit, eam ut omnino inutilem rejiciendam esse. Vel enim distinctio in re adest nemine cogitante, & ad Realem pertinet; vel fit per Mentem, & ad Rationis distinctionem refertur. Nil medium est.

§. IV.

De Veritate, & Bonitate.

I. VEritas triplex diſtinguitur, *Logica*, *Moralis*, & *Metaphyſica*. Veritas Logica reſpicit idearum noſtrarum convenientiam cum rebus objectis, quas cogitamus. Nimirum verae ſunt noſtrae Mentis notiones, ſi cum rebus ipſis revera congruant.

Moralis vero ſita eſt in convenientia ſignorum externorum cum notionibus animi: atque huic opponitur *Mendacium*.

Metaphyſica tandem, quam etiam *Entitativam*, & *Naturalem* appellant, eſt convenientia rei cum ſuo exemplari. Nimirum quaelibet res dicitur *vera*, cum ideae Divinae reſpondet: talem ſcilicet naturam habet, qualis eſt illius eſſentia, quae Divinae Intelligentiae obverſatur.

Veritatem hoc poſtremo ſenſu acceptam inſpiciunt Metaphyſici, cum illam cuilibet Enti ineſſe ajunt. Quodlibet enim Ens, utpote ſumma Dei ſapientia, ac potentia factum non poteſt cum ſuo exemplari non convenire, ideae ſcilicet Divinae non reſpondere. Verum igitur erit: h. e. iis omnibus proprietatibus exornatur, quibus praedita eſt primigenia illius imago Divino intellectui praeſens.

II. Bonum definit Ariſtoteles (*a*) *id*, *quod omnia appetunt*. Haec autem boni definitio illius na-

(a) *Ethicor. initio.*

naturam minime aperit. 1. Cur enim bonum aliquid ſit, non haec affertur cauſſa, quod appetitur; quin etiam cur appetatur, cauſſa redditur, quod bonum eſt. 2. Subſtantiae cognitione praeditae bonum cognoſcendo expetant neceſſum eſt; prior igitur eſt boni cognitio, quam ejus appetitus.

Quamobrem ceteris anteponenda videtur illorum ſententia, qui duplicem bonitatem diſtinguunt, unam *abſolutam*, alteram *relativam*. Illa ſita eſt in *perfectione*: haec vero in *apto* & *convenienti*.

Perfectum porro dicitur id, cui nihil deeſt, quod in ſuo genere ipſius naturae conveniat, ſive quod in ſuo genere expletum, & cumulatum eſt. Aptum vero, & conveniens vocatur, quod ad uſum quemdam, ac fructum ſive commodum refertur. Nova non eſt iſthaec bonitatis notio. Tullius: (*a*) *Ego aſſentior Diogeni, qui bonum definierit id, quod eſſet natura abſolutum. Id autem ſequens illud etiam, quod prodeſſet.*

Ita cum Deus late vagetur in immenſo Entis genere, ut Ens a ſe; quidquid eſt, quidquid eſſe poteſt, quidquid entis concipi poteſt, ei congruit, ei convenit; propterea ita eſt perfectiſſimus, ut ne cogitari quidem poſſit aliquid, quo ipſe careat. Hinc igitur ſumme bonus eſt, per ſe & abſolute, & bonitatis notionem omnem exhaurit. Relative etiam ſibi Deus ipſe bonus eſt. Si quidem reipſa ſe amat, & amat ideo, quia bonus eſt, h. e. ſibi convenit, & ad fruen-

(a) *De Finib. Lib. III. cap. X.*

dum aptissimus, atque in se adquiescit uno: proinde in se uno beatissimus.

Ex hac porro absoluta Dei bonitate efflorescit & altera relativae bonitatis ratio, qua Deus ipse ad res creatas refertur. Illius enim bonitatem omnes participant; quippe quia ipse bonus est, res omnes sunt: & quia sunt, propterea bonae sunt. Itidem quia in se bonus est Deus, bonus & aliis creaturis intelligentibus est; cum enim in se uno beatissimus sit, idcirco & aliis *beatificus finis* erit.

Jam vero bonitas isthaec & absoluta & relativa Entibus contingentibus aliquo pacto communis est. 1. Ea enim perfecta dicuntur, quia iis omnibus proprietatibus, quae ad eorum essentiam constituendam necessariae sunt, exornantur. Absolute igitur bona sunt: quippe iis proprietatibus destitui nequeunt.

2. Res creatae relative bonae sunt: tum quia Deo congruunt, ac tales sunt, cujusmodi esse voluit, qui eas bonas condidit: tum vero quia ipsae invicem referuntur. Vel ipsa enim hujus universitatis corpora, vi attrahente illis indita, & vi impellente apte dispertita, ita inter se omnia connexa & juncta permanent, ut quodam quasi vinculo circumdato colligata videantur. Quod quidem Leibnitius & Wolfius prosecuti sunt, & ante ipsos Newtonus.

§. V.

§. V.

De Duratione.

DUratio Entis dicitur ipsius *continuata exsistentia*, seu *exsistentiae continuatio*. Durationis autem duae sunt species, *Aeternitas*, & *Tempus*.

Aeternitatis nomen 1. interdum pro diuturno tempore accipitur. 2. Iis adscribitur, quae licet initium habuerint, nunquam tamen sunt interitura. 3. Tandem ita usurpatur, ut nullum neque initium, neque finem habeat. Qua sane sententia vulgo, atque hic a nobis accipitur.

Aeternitas porro hoc sensu accepta, quae non modo cum notione Divinitatis implicata est, sed illius etiam est peculiaris & propria, definitur a Boëtio, (*a*) *interminabilis vitae tota simul, & perfecta possessio*. Atque his verbis triplex dos Aeternitatis aperitur, quod scilicet a nulla profecta initio, successionem sive mutabilitatem, ac finem excludit.

Aeternitati Tempus opponitur, quod est duratio initio & fine conclusa, quae prioris & posterioris, praeteriti & futuri successionem habet.

In eo igitur Aeternitas a Tempore quam maxime discrepat: 1. quod illa propria sit Entis necessarii, hoc autem contingentis, & creati: 2. illa initii, ac finis expers, hoc utrique subjiciatur: 3. hoc prioris & posterioris differentiis mensu-

(a) *Lib. V. de Cons. Prosa VI.*

ſuratur: illa vero tota ſimul eſt ſine aliqua ſucceſſione; quippe propria Entis, quod *interminabilis vitae plenitudinem totam pariter comprehendit, ac poſſidet, cui nec futuri quidquid abſit, nec praeteriti fluxerit:* ut ait idem Boëtius (*a*).

Quaerunt hic Philoſophi, num nulla prorſus ſucceſſio, nulla momenta, atque intervalla ſint in Aeternitate, quae in Tempore deprehendimus. In qua quidem controverſia dirimenda magnis motibus, atque incredibili animorum contentione jamdiu elaboratum eſt.

Illud autem advertendum eſt, Succeſſionem, quam ab Aeternitate abhorrere alii ajunt, negant alii, ambiguitate laborare. Triplex enim Succeſſionis vocabulo in re praeſenti ſubeſſe poteſt notio. 1. Succeſſio dicitur, quae partes poſt partes habet, variis ſcilicet intervallis mutuo ſeſe excipientibus, atque inter ſe ſecretis diſtinguitur, quippe quae rei durantis viciſſitudinibus innititur: eamque *Phyſicam* nuncupamus.

2. Succeſſio vocari poteſt, quae licet partes excludat, nimirum in ſpatia, momenta, &c. non dividatur, tamen utcunque dividi poteſt: refertur enim ad rem quamvis immotam, non tamen immobilem, cujus exſiſtentiam utcunque dimetiri licet. Hanc vero *Metaphyſicam* appellamus.

4. Tandem Succeſſio vocari poteſt, quae licet reipſa nulla ſit: attamen *κατ' ἐπίνοιαν ratione* eam excogitamus. *Logicam* hanc dixeris.

Harum porro Succeſſionum Logica quidem ad nos

(a) *Loc. cit.*

nos duntaxat pertinet, neque ad Aeternitatem referri poteſt. Tanta enim non eſt noſtrae Mentis facultas, ut cum Aeternitatem nobis repraeſentare velimus, omni ſucceſſionis notione animos noſtros immunes reddere queamus. In quo quidem, ut ſcite Moshemius (a), idem facimus, quod illi ſolent, qui navigant. His quidem navi fugiente tellus recedere & abire videtur, cum tamen quieſcat illa, nec moveatur. Ita prorſus cum nos ipſi per varia viciſſitudinum intervalla ad calcem vitae feſtinemus, Aeternitatem ipſam nobiſcum una labi nobis perſuademus. De hujuſmodi vero Succeſſione nulla verſari quaeſtio poteſt; quippe illa extrinſecus ſe habet ad Aeternitatem.

Sin autem Aeternitatem ut in ſe eſt inſpiciamus, quatenus Dei immutabilis propria eſt, tum Phyſica, tum Metaphyſica Succeſſio ab illius notione prorſus eſt eliminanda. Quod enim ad Phyſicam attinet. 1. Quod infinitum eſt, id omni termino, atque origine caret, nihil concretum, nihil coagmentatum habet. Nullae igitur ibi partes, quae ſecerni, ac dividi poſſunt. Atqui Aeternitas non eſt, niſi infinita Duratio. Nullam igitur in ſe diviſionem excipit, nullis diſtinguitur intervallis.

2. Ubi nulla mutatio, ibi nulla Succeſſio; Quid enim ſucceſſio, niſi quaedam mutationum ſeries? Atqui Aeternitas Dei immutabilis duratio eſt. Phyſicam igitur Succeſſionem reſpuit Aeternitas.

Me-

(a) *In Notis ad Cap. V. Sect. I. §. 25. Syſtem. Intellect.*

Metaphyſica vero Succeſſio ab Aeternitate etiam abhorret. Menſura enim refertur ad partes, quas diſcernere & metiri licet. Nullae autem ex oſtenſis in Aeternitate inſunt partes. Aeternitatem igitur, ſeu ipſam continuatam aeterni Entis exſiſtentiam nullo pacto dimetiri licet. Atqui id Metaphyſicae Succeſſionis nomine vulgo accipimus. Ea igitur aliena eſt ab Aeternitatis natura.

§. VI.

De Finito & Infinito.

UT *Finiti*, atque *Infiniti* veram nobis notionem comparemus, duplicem liceat in hiſce vocabulis ſententiam diſtinguere, *Grammaticam* unam, *Philoſophicam* alteram. Illa ex vi verborum ſenſum aperit: haec vero illius rei naturam explicat; cujus verba illa ſunt propria.

Finitum igitur atque Infinitum ſi *Grammatice* ſpectatur, illud eſt, quod finibus circumſcribitur, hoc vero quod iisdem caret: atque ita alterum affirmantem, negantem alterum notionem habet.

At ſi Philoſophica vis, quae his nominibus ſubeſt, conſideretur, Infinitum idem omnino eſt, ac *perfectiſſimum*: adeo ut finitum ſit, quod a ſumma hac perfectione diſtat.

Nimirum haec Infiniti notio fluit ex natura Entis aeterni, quod neceſſario per ſe, & ſine ulla cauſſa exſiſtere, nemo in dubium revocare poteſt. Quod enim per ſe, & neceſſario exſiſtit, per-

perfectiſſimum ſit oportet. Si qua enim perfectio ab illo abeſſet, aut ſi modus aliquis illius perfectionibus imponeretur: id profecto ab aliqua cauſſa oriretur, quae illius perfectiones limitibus circumſcripſiſſet. Non igitur per ſe, & neceſſario exſiſteret.

Quamobrem Infinitum idem illud proprie eſt, quod neceſſario exſiſtit. Hoc autem cum non poſſit non eſſe perfectiſſimum; hinc *Infiniti* & *Perfectiſſimi* notiones ſibi e regione reſpondent.

Ex his autem illud clare patet, quod Infinitum haud dubie ſenſum habet poſitivum: Finitum vero notione valet negativa. Nam 1. Infinitum idem eſt, quod abſolutiſſimum: Finitum vero imperfectum. Atqui illud notione poſitiva praeditum eſt: hoc vero negativa. Quare qui finitum aliquid dicit, is illud infinitum eſſe negat.

2. Finitum conſtitutos limites tranſilire nequit: at Infinitum omnes perfectiones in ſe comprehendit. Negativum autem illud eſt, hoc vero poſitivum. Ergo.

3. Infinitum *τῦ ἐιναι eſſendi* plenitudo eſt: Finitum vero defectus. Atqui poſitivum alterum, alterum negativum. Ergo.

Infiniti igitur notio externo negantis vocis cortice involuta poſitiva eſt: non ſecus, ac non pauca vocabula, & vulgo uſurpatae dicendi rationes, quae negativae notionis ſpeciem praeſeferre videntur, licet poſitivam ſententiam comprehendant. Hujuſmodi ſunt *Immortalis*, *Incorruptibilis*, *Impeccabilis* &c. voces: aut cum negamus Deum poſſe falli, mentiri, mori, repugnantia efficere &c. Quae omnia poſitivam com-

ple-

plecti notionem quisque videt.

His delibatis illud modo discutiendum superest, num Infinitatis notio extensioni, & numero adscribi possit. Quae quidem breviter prosequemur. Et 1. advertatur volo, quod cum quaeritur, num extensio, aut numerus sit infinitus, *Grammatico* sensu ea vox accipitur: utrum scilicet ea fine ac termino careant.

2. Advertendum est, duplici pacto Infinitatis notionem usurpari a Philosophis, vel *relative*, vel *absolute*. Absolute infinitum vocant, quod reaspe nullis coërcetur limitibus: relative vero, cujus nulli a Mente nostra constitui possunt termini, quos ultra illud prodire nequeat.

Hoc sane sensu infinitatis notio accepta neque extensioni, neque numero abjudicanda videtur. Ita enim comparatam esse Mentem experimur, ut quantumvis uni stadio alia centum atque alia deinceps addat, aut numeros numeris, magnitudinem magnitudini perpetua serie adjungat; nunquam tamen additionum finem aliquem inveniri posse agnoscat.

At si de infinitate absoluta sermo sit, haec numero atque extensioni omnino repugnat. Extensio duarum rerum propria est, Materiae, & Spatii. Materia infinite extensa esse nequit.

Nam 1. Materia partibus constat. Partes autem finitum quoddam constituunt; ubi enim partes, ibi extremi earumdem fines: ubi autem partium fines, ibi totius limitatio. 2. Materia dividua est. Atqui infinitum dividi non potest; quod enim nihil habet extremum, neque partibus constare, neque in eas secari potest. Infinita

ta igitur Materia & dividua, & individua simul esset; quo nihil absurdius.

Spatio itidem infinitas repugnat. Infinito enim huic Spatio, quod Deus condidit, aliquid detrahere ipse poterit. Unde autem demi aliquid potest, fines illud habeat necessum est. Ergo.

Numero tandem infinitatis notio etiam adversatur. Numerus enim non est, nisi rerum, vel actionum multitudo, quarum singulae finitae sunt, & modo suo terminatae: & ipsa igitur multitudo finita sit oportet. Atqui infinitum, quod terminis non circumscribitur. Numerus igitur, & infinitas adversa fronte pugnant.

At enim Dei actionum, & perfectionum numerus infinitus est. Atqui hoc ipsum a numero infinitatem abhorrere ostendit. Qui enim infinitum esse divinarum actionum, & perfectionum numerum ajunt, licet minus proprie loquantur, profecto negant Dei opera, & perfectiones numerari posse; negant igitur numerari id, quod infinitum est.

Spatii hîc mentionem injecimus, quod *Inane*, *Vacuum*, & *pura Extensio* etiam nuncupatur. Hoc nomine appellant juniores Newtoniani certam Substantiam primam omnium a Deo conditam excipiendis intra se corporibus comparatam: eamque immobilem, penetrabilem, insectilem, atque interminatam esse ajunt. Contra Cartesiani, quibus accessere Leibnitius, & Wolfius, inane hoc nusquam exsistere, & puram extensionem substantiam non esse, sed modum, aut Substantiae attributum arbitrantur. In his definiendis non immoramur; haec enim in Physicis Institutionibus persequi dabitur.

CA-

CAPUT IV.

De Caussis.

RES universas vel ut *Causas*, vel ut *effecta* considerare possumus. Cum autem Caussa & Effectus voces sint, quas vocant *relativas*; hinc totidem sunt Effectuum genera, quot Caussarum.

Caussa generatim inspecta dicitur id omne, quod *per se influit esse in aliud*: nimirum ad rem aliquam producendam utcunque concurrit. Quinque porro Caussarum genera vulgo distingui solent, ***Efficiens***, ***Materialis***, ***Formalis***, ***Finalis***, atque ***Exemplaris***.

Caussa Efficiens est id, quod virtute sua effectum producit, illumque a potentia, ut ajunt, transfert ad actum. Sic artifex est caussa efficiens statuae.

Materialis caussa dicitur id, quo res aliqua componitur, seu ex qua antea exsistente fit aliquid. Ita metallum, unde conflatur statua, materialis statuae caussa appellatur.

Formalis caussa ipsius rei forma est, quae scilicet rem definit, ut talis sit. Haec aut est *Substantialis*, quae efficit, ut res certa quaedam substantia sit a ceteris distincta, aut *Accidentalis*, quae ita rei adjungitur, ut abesse possit. Ita interiorum illa partium Auri dispositio, qua nimirum fit, ut Aurum potius sit, quam quaevis alia

alia ſubſtantia, forma ſubſtantialis eſt Auri. At accidentalis corporis aurei forma eſt, qua illius partes ita diſponuntur, ut potius rotundam, quam aliam figuram exhibeant.

Cauſſa Finalis eſt finis, cujus amore & gratia cauſſa efficiens aliquid agit. Sic lucrum vel gloria finis eſt, quem artifex in ſtatua elaboranda intendit.

Exemplaris tandem cauſſa id appellatur, quod veluti inſtar ſibi imitandum proponit cauſſa efficiens. Imago Caeſaris, quam Mente gerit artifex in ſtatua perficienda, exemplaris ſtatuae cauſſa dicitur.

Jam vero cauſſa efficiens, quae verae cauſſae nomen & rationem habet, 1. vel eſt *prima*, vel *ſecunda*. Illa nulli ſubjicitur, & per ſe ac propria virtute agit; cujuſmodi eſt ſolus Deus. Haec vero a cauſſa prima pendet, neque agit, niſi virtute, quam ab illa accepit: hujuſmodi ſunt res omnes creatae.

2. *Principalis*, aut *inſtrumentalis*. Altera ita effectum producit, ut in ipſa ſit ratio, quare effectus exſiſtat. Altera principali inſervit, atque ab illa agendi vim recipit.

3. *Adaequata*, a qua ſola totus effectus producitur: *inadaequata*, quae cum aliis edit effectum.

4. *Phyſica*, vel *moralis*. Earum altera vera & reali actione effectum producit: altera vero cauſſae efficienti occaſionem affert, ut aliquem illa effectum edat. Ignis domus incendii phyſica cauſſa eſt; at moralis incendii cauſſa eſt, qui ad domus parietes ignem admovet. Ita praecepta,

pta , minae ; preces , adhortationes , consilia , quibus ad aliquid aggrediendum incitamur , caussae moralis nomine appellantur .

5. Tandem *libera* , vel *necessaria* . Caussas liberas eas vulgo dicimus , quae ita agunt , ut omnem physicam ad oppositum potestatem servent: necessarias vero , quae antecedenti & physica necessitate naturae vel alterius caussae ita ad agendum determinantur , ut nullam ad oppositum physicam facultatem habeant .

FINIS TOMI PRIMI.

